



6

~~12-D~~







HISTORIA
CAROLI MAGNI
IMPERATORIS ROMANI.

*Ex precipuis Scriptoribus eorum temporum
concinnata,*

STUDIO
IOHANNIS IOACHIMI FRANTZII,
ARGENTORATENSIS.

ACCESSIT EGINHARDI
CAROLUS.

ET
PRÆFATIO

IOHANNIS HENRICI
BOECLERI,


Qua institutum hujus opusculi declarat.




ARGENTINÆ,

Typis JOANNIS PHILIPPI MÛLBII,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

M. DC. XLIV.





IO HANNES HENRICVS

B O E C L E R U S

Lectori Beneuolo

S. P. D.



U M Studiosæ Juventutis pro-
fectibus pro muneris ratione
ex virili mea hæctenus consu-
lo , non in postremis id mihi
credo negotij datum, vt inge-
niorum singula, pro suo quodque captu, vel
facilitate laborum alliciantur, vel vtilitate
stimulentur, vel magnitudine intendantur.
Quo factum est, vt eximiam quamq; ac sin-
gularem indolem eximiis quoq; argumentis
exercere, ingenijq; vires præclaras memora-
bilis difficultate exercitationis quodãmodo
irritare consueverim. Quæ ipsa res occasione
huic opusculo dedit, quod Typographus
nunc emittit. Cum n. *præstantissimus Iuuenis*
IOANNES IOACHIMUS FRANTZIUS *Argentora-*
ensis, felicissimo ingenio, & industria pror-
sum egregia, in condiscendis bonis litteris ar-
tibusq; in tractãda nobilissimorû Auctorum

P R Æ F A T I O.

lectione, ita usus esset, ut ad sūma videretur enisurus, si commentatio & exercitatio accessisset: auctor ei extiti, ut inter Juris studia, quibus nunc plerasq; oēs horas tribuit, aliquid sibi Scriptionis argumentū deligeret, quod & amplitudine secundum, & utilitate præcipuū, & gravitate magnificū esset. Fortem de incomparabili Heroum triga, Augusto, Constantino Magno, Carolo Magno, nobis sermo erat. In horum tempora, aiebam confluere, maximarum rerum fata, eventus, consilia, mutationes publicas, imperiorum translationes, deniq; quandā quasi summam, quendā orbem civilis observationis ac prudentiæ. Delegit ergo *Caroli Magni historiam*, quam ex diversis monumentis in vnū corpus coactā, speciminis Historici causa concinnaret, atq; ita imitationem quandam eorū, quæ legerat in bonis Auctoribus, auspicaretur. Permissi felicissimā indolem suis conatibus; non pœnitendi operis laborē fore ratus, etiam si dignitatem historiæ, aut gravitatem rerum, non vbiq; scribendo exæquaret. Quippe ita futurum videbā, ut experiendo disce-

PRÆFATIO.

ret, quod auscultando meditandoque nemo satis discit, quantum ad historiam, quantum ad seria eloquentiæ castigatioris meditata requiratur. Quid si, in dignissima totius vitæ studio statuq; materia, ætas maturior, tentatas semel, nec infeliciter, juventutis curas, ex intervallo resumeret, limamq; & cultum amplio- rem adhiberet? Ita fiat, si Deo visum fuerit! Interea hoc *Frantziana industria specimen*, sive historiam Caroli Magni, ex varijs libris in hanc formam, quam istæ paginæ exhibent, non ineleganter adornatam, æ qui boniq; consulet Lector Benevolus, ætatisq; juvenilis efflorescentem pulcerrime industriam, in ea forte non desiderabit. Præsertim cum in argumento satis favoris sit. Quis n. hunc Principem, non ex quo vis commentario, simul & semel, in tota sua magnitudine æstimare malit, quam dispersam passim cognitionem cum labore, nec sine tædio consecrari? Adjunxit autem modestissimus Juvenis, *vitam Caroli ab EGINHARDO descriptam*, ut vel illius Scriptoris, non vno nomine æstimandi, quiq; non nisi majoribus fere operibus insertus reperitur, auctoritate Le-

PRÆFATIO.

Etoris gratiam sibi conciliaret: satis gnarus, Germanis præsertim omnibus, non posse duplicere, quidquid ad Carolū pertineret. Atq; hæc sūt, quæ de instituto huius opusculi præmonenda videbantur. Vale, Lector Benevole, & nunquam male collocari favorem cogita, qui juventutis eruditæ & eximiæ studijs ornandis destinatur. Scribebam Argentorati. 6. April. ANNO MDCXLIV.

VIRIS

GENEROZA NOBILITATE, MAGNIFICA AMPLITUDE,
Prudentia, Auctoritate, tractandæque Reipublicæ peritiâ

ILLVSTRIBVS,

DN. IOANNI CHRISTOPHORO à Drachens
derff / Prætori.

DN. IOANNI WENCKERO Consuli.

DN. IOANNI IACOBO MEIERO, Consulari &
Seniori.

Hli Cancellario, His Scholarchis.

Reip. & Academiæ Patribus Eminentissimis, Patronis intima ob-
servantia colendis, Reverentem subiectumq; animum hac
Academici exercitij Inscriptione testor.



*Q*UOD & dignitas vestra & virtus, & huius exerci-
tationis insoles, vltro mihi imperare videbantur,
scriptoris oratoria istud tyrocinium, splendidissimis
Nominibus vestris, simplici formula, sed ardentiori
submissa mentis adfectu, dedicatū cupio Patroni Eminentissimi.
Illustre vestrum munus vigilantemq; in Reip. pariter, & Acade-
mia cōmoda animum, & parem tanto negotiorū cumulo virtu-
tem, clemētiam in vniuersos, favorem erga singulos, providen-
di ac subveniendi quibuscunq; promptitudinē, nec pagina huius

recipit angustia, nec mei sermonis admittit infantia, & splendor ille, quo vos prae fulgetis, satis suo lumine declarat. Potius illuc me cōuerto Patroni, unde animus mihi succrevit, hac occasione curas & occupationes vestras interpellandi. Nimirum ista de CAROLI MAGNI, qui primus Romani Imperij gloriam ad Germanos transvexit, rebus prospere fortiterque, pace belloque gestis, instituta dissertatio fecit, ut propius subire vestros vultus, & firmandi patrocinijs ansam exquirere ausus fuerim. Patravit talia ac tanta CAROLVS ille Magnus, ut si quis magnitudinem eius operum, cum priorum seculorum historia conferat, nullius non gestorum seriō eum adaquasse, liquido deprehendat. Cyrus forte, Alexandros, Iulios, ceteraque Romanae gentis decora nobis illi obijcient, qui in ulteriori antiquitate grandiora exempla se invenisse credunt, dummodo sciant, tantis Viris non quidem fulgorem operum, sed neque decora defuisse ingenia, qua sublimi calamo splendidiora ea redderent, & commenderent aternitati. Caroli verò nostri atas habuit quidem viros ad literarum decus emergentes, sed eorum sive prudentia, sive in scribendo elegantia tanta non fuit, ut vetustiorum eloquentiam adsequerentur. Id ex EGINHARDO satis constabit, qui venustam illam Suetonij brevitatem majori solertia vidit, quam felicitate imitatus est. Inter omnes tamen Augusto simillimum fuisse Carolum putem. Uterque turbatam Italiam currexit, uterque Remp. restituit. Augustus Parthos, Romanorum hostes insensissimos, & iam suis, iam illorum cladibus nobiles non tam domuit, quam ad amicitiam suam traduxit, Carolus Saxones Francorum anniversarios hostes, victos modo, modo victores non tam sub jugum misit, quam Christianae religionis capitibus, (qua multis parasangis Augusti felicitatem antecessit,) & vero Numinis cultu imbuit. Augustus Lusitanos, Gallacos, Hispanos, ab aliquot seculorum serie inquietos & Reip. Rom. timendos feliciter compescuit; Carolus Saracenos dudum Christianorum fortunas destruentes, tum incolentes Hispaniam repressit, Adelfonso Galloecia & Lusitania Regi auxilia in eos submisit. Et quod virtutibus utriusque comple-

mentum addidit, Augustus artium studia conservavit, re-
fuscitavit Carolus. Hic Vos in communionem laudis venitis,
Patria Patres, dum inter gravissima Reip. onera, Academiam
& qua illam sive constituunt, sive decorant, summo studio pro-
moveretis. Nam Carolus quidem Parisiensem ac Papiensem A-
cademiam condidit, Vos instauratam à Majoribus hanc litera-
rum artiumque liberalium palastram in hunc usque diem &
conservatis strenuè, & augetis: Carolus Albino Clementique
Scoto, regendam scholam, instituendosque varia literatura a-
dolescentes commisit: quod clarissima facultatum omnium si-
dera hanc illustrent Universitatem, Vestra est, secundum DEVM
providentia. Nam sicut Imperator ipse discipulorum industriam
in Schola Parisiensi recognovit, ita jure merito, Patroni, experi-
menta nostrorum profectuum vobis redduntur. Igitur quod
in Academia vestra natum est, inque ea propediem ulteriori
exercitatione ventilandum proponetur, erecto clementique
vultu accipite VIRI MAXIMI, agnoscite hoc subjectissima
mentis pignus, quod si ab argumenti sui natura aestimatur, Vo-
bis non indignum, si mea hic opella respicitur, nullam aut pro-
fecto exile apparebit. Dum enim Juris Civilis studio, DEO
duce nuper me dicavi, placuit interim, ne illotus, quod dicitur,
manibus, amplissima disciplina penetralia accedere vi-
dear, aliqua descriptione ingenij vires tentare. Et hanc quidem
inter varias, mihi commendatam à DN. Praside mate-
riam, eo libentius apprehendi, quò facilius sua magnitudine
ac difficultate meam imbecillitatem excusaret. Quam sa-
men, tum cetera animi hujus devotio, tum praecipue vestra &
quanimitas, ne infimorum quidem conatus rejiciens, facile
pensabit. Vivite interea, & vigete, Nobilissimi & Amplis-
simi Domini, PATRONI summe observandi, Reip. & Acade-
mie bono nati, & grandia in me, meosque merita constanter
continueate. Quibus ego, studia, spes, vota omnia mea denuo com-
mendata cupio.

Vestrarum Nobilitatum & Amplitudinum

subjectissimae cultor

Ioannes Ioachimus Franz.

In historiam CAROLI MAGNI
PRÆFATIO.



AROLI, qui rebus gestis MAGNI cognomen meruit, vitam & imperium tum eius ævo, tum posterioribus seculis aliqui literis ad posteritatem propagare aggressi sūt. Sed in ista Scriptorū turba, plerique seu barbaræ ætatis vitio, quæ omnem sermonis elegantiam profligaverat, seu paucitate rerum & dispersis hinc illinc historiæ particulis, tanti Viri memoriæ vix satisfecerunt. Quapropter dum materiam publicæ disquisitioni instituendæ requiro, haud inconsulte me facturum speravi, si hæc ipsa maximi Imperatoris gesta suis eruta locis in vnum conducerem, & quanto liceret studio consignarem. Etsi enim nec à me eruditum aliquid expectari poterit, nec ab hac ætate perfectum quicquam, juvabit nihilominus Principem illum penitus considerasse, quī magnitudine sua in id fastigij euectus est, vt Imperatoris Romani nomen primus in sua gente consequeretur. Sane admirabilis fuit divini Numinis providentia, qua post fractas Orientis opes & concussum illic Imperij robur, ita majestas eius apud externos est resuscitata, vt regnantibus Constantinopoli per summam socordiam Constantinis, Leonibus, & impotentis denique animi femina Irene, novus interim in Occidente splendor CAROLVS oriretur, qui acceptam à Patre Pipino gloriam non auget modo per omnia virtutum experimenta, sed ad augustum illud, & quo in terris sublimius non reperitur honoris culmen etiam perduceret. Cæterum inter Scriptores, quibus velut instrumentis in hoc labore usus sum, primi EGINHARDVS, *Ganguinus, Acciatolus, Cuspintanus* sese offerunt, breviter uniuersam CAROLI vitam complexi, fidemque consensu merentes, tanto maiorem

ille, quanto tum vetustate nobilior, tum dignitate apud ipsum Imperatorem eminentior olim fuerat. Successit his *Adelmus Benedictinus*, cuius annales à Pipino ad CAROLVM MAGNVVM cōtinuati in Ludovico Pio, (sub hoc enim floruisse dicitur) exeunt, non omittendus præcipue hoc nomine, quod superstes ex æqualibus illius seculi fusius narrat, quamvis interea rude sermonis genus facile temporis infelicitati condones, adeo barbaries omnia corruperat. Addimus, quæcunque ex *Aventino, Sabellico & Sigonio* memoratū digna visa sunt. Nam *Pauli AEmily*, viri ut ad priscam scribendi formam proxime accedentis, sic ceteris merito præferendi autoritate præcipue vsi sumus. Tanta nimirum & cura & gravitate, nec minus erudito orationis filo Francorum memoriam Regum persequitur. Cum vero omnium, quos hætenus memoravimus industria præcipue circa CAROLVM bellis & rebus civilibus occupatum versetur, ne mutila esset narratio, aut maxima piissimæ Imperatoris in rem Christianam beneficia sileantur, pleraque ex *Baronio* religionem & res sacras concernentia mutuati sumus, quantum equidem fidei diversæ partis scriptori præstare licuit, qui occasione insidiatus, maxima-minima in opinionum suarum adminicula trahere conatur. Cæterum & istis, quæ *Ioannes Turpinus* fabulis equident, quam incorruptæ rerum gestarum veritati similiora prodidit, locum aliquem dedimus, non tam amœnitate quadam pascere studentes legentiū animos, quam ut testaremur, magis magisq; fortissimi Principis facta esse suspiciēda, quippe quæ molitione ardua, numero infinita, successu egregia, vel indagari plenius nequiverit, vel sua (ita fieri amat) magnitudine supra certitudinem creverunt. Quæ ex aliis Scriptoribus admiscuimus, suo loco indicabuntur. Dignissimam ergo ampliori consideratione materiem, non mearum fiducia virium, sed ingenuæ exercitationis amore, fretusque

lectoris æqui benevolentia nunc aggredior, nam (quod occupavi dicere) nec indolis alias meæ, ætatisve huius captus tanto conatui ſufficere poſſet.



CAROLVS MAGNVS IMPERATOR

L

à parentibus maximis omnique laude & honore præfulgentibus Ingelheimi, vico propter Moguntiam in Germania, in hanc orbis communis auram eſt prognatus. Fuiſſe eum *Germanum*, quamvis Gallos quosdam negaſſe non ignorem, conſenſus tamen Authorum, & impoſita menſibus ac ventis Teutonico ſono nomina, ſed præcipue imperium eius opera in Germanos derivatum ſatis evincunt. Magis de loco, qui cunas dedit Catolo, inter Authores quaeritur. *Aventinum* enim Carlsburgi in Boiaria, (vnde & opido nomen) editum, magnaue ibidem reverentia arcem monſtrari peregrinantibus adſeverat. Cæteri ſere, in eo, quem diximus, vico, genitum ſcribunt, hos vt ſequamur inclinat animus. Satis interim manifeſtum eſt, adeo honoratam fuiſſe poſteris ſummi herois memoriam, vt non vna inter Germanos natio vindicare ſibi natales eius laboraverit. Parentem habuit *Pipinum*, in victi roboris virum, qui vbi officiis publicis ætatem idoneam egit, regij præfectus palatii à Francis ordinatus eſt. Ille uſitato tum vocabulo Major-domus appellatus, in belli pacisq; negotiis proximus Regi, & ſpectata inter ſuos authoritatis fuerat: qua dignitate Pipinus primum Senior, & Carolus Martellus, celebre illud Saracenorum fulmen, mox noſter Pipinus, cum fratre Carolomanno aliquandiu (qui tamen non multo poſt ſolitariam vitam in monte Soracte prope Romam amplexus eſt) continuatis in familia honoribus uſi, & collecta jam miniſterij diuturnitate potentia favorem omnium metuerant. Interea poſtremus è gente Merovingorum Childericus regno Francorum præerat, animum haudquaquam tanto ſaſtigio patem gerens, ſed corruptus otio atque ſocordia præter regis nomen, & inanem Maieſtatis ſpeciem nullius rei curam amplius

II.

habebat: Præfectus palatij consultare, agere omnia, negotia domi forisque conficere, subvenire, providere, leges & jura constituere solebat. quibus perspectis indignitate commoti optimates, tanti imperij corpus velut anima destitutum sensim collabi, in publico congressu regni summam Pipino deferunt, depositumque Childericum tonlo capite in monasterium detrudunt, Pontificis quo major cæptis reverentia esset, consensu accedente. Pipinus autem Rex hoc modo constitutus, ducta in matrimonium *Bertha*, omnibus muliebris sexus ornamentis illustri femina, (cuius pater *Heraclius Cæsar Constantinopolitanus*, *Phocam Maurij interfectorem*, & hinc gravem Imperio Tyrannum pessundedit) variam mox bellandi materiam habuit. Nam *Aistulphum* Langobardorum Regem insolentius erga Pontificem *Stephanum* se gerentem compescuit, & *Saxones* ferocem populum, novis molitionibus semper vires quærentem duplici prælio ad *Visurgim* profligavit; adhæc *Vaisarium* Aquitanix ducem contumaci superbia spernentem imperium suum domuit, de quo bello latius postea dicendum erit, tum quod defuncto parente **CAROLUS** istud excepit, tum quoniam militiæ rudimenta in eo deposuit: novissime *Tassilonem* Bavarix regulam aggressurus videbatur, qui ubi nuncium de patris ægritudine accepit, ne salutato quidem Pipino cui in expeditione Aquitanica operam navabat, domum se proripuit, nec obscure rebus novis adiecit animum, sed interveniebat invictissimi Regis obitus, quo minus occulta eius & factiosa consilia statim excuterentur. Tanti itaque parentes quem obtigissent **CAROLO**, vix potuit aliter nisi ad magnæ cultû fortunæ præparari. lamprimû in puero divina quædam vis & natura maximo ingenio instructa e-lucebat, nec sanctius quicquam ducebant, quam innutritum cælestibus præceptis, Eruditorum curæ committere. Quamobrem & *Christiana religio* capisibus accuratissime imbutus est, & opera *Petri Episcopi* præstantis tum in te grammatica Viti, artium liberalium fundamenta hausit, *Latine* nimirum & *Græce* linguæ cognitionem pro sæculi conditione maximam adeptus est, ut efferret illam expeditissime, hanc sufficienter intelligeret. Cum vero singulari temporis felicitate Reges Britannix legatum sæderi pangendo ad **CAROLUM** destinassent *Albinum Alconum*, è gente Saxonica Anglum, &

olim Bedæ, cuius in re sacra præclari labores extant, auditorem, captus eruditione hominis CAROLVS è legato hospitem, ex hospite præceptorem habuit: nec solum *qua ministra est humana sapientia*, disciplinam ab eo perdidicit, sed totis viribus ad *Orationem exercendam* conversus naturalem facundiam ita roboravit studio, vt præter promptum ac profluens sermonis genus facile ævi sui eloquentissimus crederetur. *Arabice* loquutum esse Aigolando Saracenorum Regulo *Turpinus* auctor est, nec id fide indignum: dum enim in expeditione Hispanica præcipuam belli molem in illum vertit, facile temporis tractu notitiam linguæ sibi comparare potuit. Cæterum quo mentem attolleret altius, abduceretque à vano metu aut admiratione serum, Albino doctore *cæli siderumque scientiam* præcipue excoluit, cuius difficultatem si qua feliciores cursus moraretur, arte computandi adjuvit. tantos autem progressus fecit, vt in tabulis ac codicillis, quos hoc sine sub lectuli cervicalibus circumfererat, motus eorum delineare, cælique imagines exprimeret tentaret, sed otium rei necessarium, & ætas CAROLI negotiorum multitudine implicata, ac sensim ingravescens laudabiles conatus destituit. *At eam philosophia partem, qua sibi aliisque probe imperare docet,* quo magistro aggressus fuerit, nullus quod sciam, memoriæ prodidit. Crediderim tamen præter exemplum Patris Pipini & saluberrima monita maximum in adolescente robur habuisse maturam terum curam, quibus admotus, ipso vsu omnium magistrorum præcepta superante arduum regendi munus animo complexus est. Non reticere tamen debet præcipuum CAROLO ad solidiorem prudentiam momentum, *ante aliorum notitia.* Quotiens enim cœnabat, magis de animo quam ventre pascendo sollicitus, aliqua lectione epulas condivit. Prælegebantur ei antiquorum Regum gesta, quibus vt certissimis innixus documentis, totius vitæ scenam intuebatur. Fugiebat nunc præcipicia aliorum consilia infelici plerunque successu punita, nunc aliorum admirabatur virtutes, qui dignum moderatis actionibus exitum invenerunt. *Augustini* pariter summi Antistitis opera, & ex illis divinum, quod *de civitate Dei* est, monumentum in promptiores vsus maxime seligebat, egregio prorsus consilio; quippe quo codice nihil gravius reperire licet, tanta cura instruit mortales, vt visa perspectaque vitæ civilis incert-

VI.

ritudine, omnia consulta, dicta, facta, ad superam quæ DEI est, & in qua perpetua felicitas. civitatem dirigant. His atque talibus disciplinis dum mentem firmat CAROLVS, interim corpus laboribus exercere non desistit. Spectabatur more Francis recepto, nunc ferocientes equos domitare, nunc assuescere armis, sæpe venationibus indulgere. Cuius equidem exercitij adeo studiosus fuit, vt turbido etiã aëre per invios saltus & præruptos colles, & in media hyeme cum altæ nives terram premerent, adstringerentque gelu campos, feras investigaret: nec, quod rem saluberrimam & sanitati suæ perquam vtilem duceret, in senectute à tanto ardore remisit, sed quoties otium à publicis negotiis habuit, istas temporis reliquias huic delectationi destinavit. Adhæc natandi peritissimus inter suos frequenter corporis sudores in præterlabente flumine abluebat, præcipue aquis delectatus: quamobrem, in regia Aquisgrani extracta per extremum vitæ spatium non cum filijs modo & amicis, sed sæpe satellitum cohorte balneum ingressus est, evenitque interdum, vt centum vel amplius homines vna lavarentur. Scilicet decorum fore ratus est, si in conspectu suorum, (quod *Curtius* in Alexandro prædicat) ostendisset, levi ac parabili cultu se esse contentum. In tantis igitur corporis ac animi ornamentis, nihil deesse CAROLO videbatur, nisi vt ingenium cordata institutione probe excultum in ipso rerum gerendarum molimine exsereret. Huic curæ patris Pipini prudentia mox prospectum est. Bellum vt prædiximus, in Aquitania, contra Vaisarium ducem provinciæ gerebat, cuius hæc traditur causa. Vaisarius sacerdotum opibus, quas Visigothorum mox Saracenicæ impietas abstraxerat, renascentibus iam & Pipini beneficio ad veteres dominos redeuntibus, iniquior erat, suæq; potestati decedere arbitratus, quicquid templorum reditus auget, in eos Franco protigente, irruerat. Primum levibus præliis manus conseruerunt, postquam ab vtraque parte effervesceret impetus, fremente inprimis Pipino, maiestatem suam apud rebellem in super haberi, accius bellum instauratur. CAROLVS à patre domo excitus in expeditionis consortium assumitur, vt virtutis ostentandæ occasionem nancisceretur. Multa in eo bello egregiæ indolis experimenta dedit. Gergovia, Pictones, Bituriges eius auxilio recepti, pugnaque

VII.

com-

commissa, cum præcipui diversæ factionis duces caderent, Vaisarius autem simulata pace mitteret Regi obsides, pacata aliquandiu Aquitania est. Pipinus exemplo in Cantabros profectus, opem illis adversus Saracenos, terrorem vniuersæ Hispaniæ incutientes tulit, atque ita erexit eorum animos, vt Indies de fortuna sua melius sperarent. Hos verò dum confirmat, Vaisarius neglectâ fide, quam obsidibus datis sanctius colere debuisset, in Franciæ, Burgundiæque confinia excursionem facit, & ingenti præda onustus latroni quam hosti similiter domum redit. Rex habito Niverni conventu in Aquitaniam penetrat, muros vrbium Ageni, Engolismæ destruit, quibus maxime fisis perduellis trahere bellum cupiebat, aliquot opidis sive vi sive deditioe voluntaria potitur, inde exercitum ob acerrimam hyemis asperitatem in castra reducit, ac licet Tassilonis defectio, (cuius supra mentionem fecimus) animum in diversa abstraheret, decevit tamen omnibus intermissis ad necem vsque Vaisarium persequi. In hunc finem recollecto exercitu Aquitaniam rursus invadit, Tolosam, Cadurcos, Albios recipit, cumque circa urbem Sanctonicam moratur Ramistanum Vaisarii patrum comprehensum recte suspendit, tum quod ille speculatus fortunam, nunc regiarum nunc Vaisarii partium esset, tum quod hoc exemplo metu ceteros percelli, & ex metu ad obedientiam reduci posse crederet. Nec consilium fortuna destituit. Erovicus ac ceteri præfectorum se ac sua Pipino permittunt, adeoque inclinatis rebus Vaisarius à domesticis gratiam victoris aucupantibus occiditur, sat efficaci documento, potestatem scelere partam plerunque non melius agi. quam acquiri; & perfidiæ in Auctores eius recidere, siquando iusjurandum religione confirmatum servare domino nesciunt. Rex finita expeditione Sanctonas revertitur, ibique moratus aliquantum morbo corripitur, quo instante ne sibi deesset, primo Turones, mox Parisios delatus, acrius laborare cæpit, aqua enim intercute membra eius intumuerant, itaque imminente fatali hora, animam, vnde acceperat, Deo reddidit. Princeps haud dubie illud fastigium sua virtute meritis, fortis etiam ac sapiens, qui denique benevolentia & auctoritate procerum populique amorem sibi conciliaverat. CAROLUS cum fratre Carolomanno, vbi primum fama mortis Pipini percrebuit,

VIII

IX.

X.

consensu nobilitatis regni habenas suscipiunt, & ut constaret, in quantum vtriusvis se extenderet iurisdictionio, certis limitibus imperium distinguunt. Carolus Noviomagi, Carolomannus Augusta Sueffionum coronantur: illi Vestria, (quam corrupte Neustriam vocant) Aquitania cū cæteris Occidentaliſ Franciæ provinciis cesserunt; Huic transthenanæ ditiones, Francia nimirum Orientalis, & ea, quam hodie Austriam dicunt, Germaniæ pars paruerat. Nondum omnia rite ordinata erant, cum (ut fit in novis imperiis) Hunoldus ex eadem feraci rebellionum Aquitania surgit, & allectis popularium animis dux regionis salutatur. Illa inter nobilissimas Franciæ pars Ligeri fluvio & Gebenna monte cingitur, qua Occidentem spectat, mari quod hinc Aquitanicum appellatur, alluitur, à meridie vbi Pyræneis clauditur jugis Vasconix nomen obtinet. hanc Lupus quidam infederat, anteriorem Hunoldus, captis urbibus præcipuis, quæ jam antea per Pipinum mœnibus nudatæ erant, facile occupaverat. Carolus minime cessandum ratus, ne mora hostium vires incrementa sumerent, exercitum contrahit promptum expeditumque, simul à fratre Carolomanno auxilium petit, at ille, sive pacem suam alieno bello turbare nolens, sive potentiam fratris & indefessum animi robur timens, adhuc purpuratis eius mentem solita vanitate instantibus, auxilium CAROLO denegat, & proprio tantum milite succinsum pergere in Aquitaniam sinit. Haud difficulter Regis ardor Hunoldum in fugam pepulit. Tetritus enim inopinato adventu ad Vasconix ducem Lupum se recepit, cumque eo consilia de regni societate ineunda communicat. Cedentem CAROLUS persequitur, dumque Sanctones, Pictones, & Engolismenses suarum esse partium cognoscit ad Vasconiam vsque penetrat. Per legatos deinde Hunoldum à Lupo repeti jubet, *ni imperata protinus fierent, Vasconix pacem cum cætera Aquitania sortem imminere. proinde aut nunc deditionem, aut mox bellum parandum; nec aliam quam Hunoldus expertus est, expectandam esse fortunam.* Interea ad flumen Dornoviam castellum cui Fronciaco nomen fecerat, extruit, ostensisque tantum non illatis armis sententiam hostium opperitur. At Lupus celeritate Regis & spe veniæ permotus præter Hunoldum se ac suoque potestati eius permittit, prudenti consilio novam domino

XI.

obedientiam spondens, quem, si vel maxime bonitate causæ ad-
 iustus fuisset, nec arte bellandi nec exercitus robore, sustinere potu-
 isset. Hunoldus CAROLO adductus in custodiam traditur. Pro-
 dit tamen Paulus AEmilius & ex Sigeberto Baronius, eum simulata pœ-
 nitentia Romam transmissum, ut perpetuam ibi vitam ageret, post-
 ea verò actum perfidiæ stimulis ad Langobardos defecisse, ac tan-
 dem sive ab ipsis Langobardis, quibus fallacia hominis perspecta
 erat, sive ab insidiatoribus aliis lapidibus obrutum, scelerum pœ-
 nas dedisse. Interea verò dum Rex felici expeditione auspicia
 Imperij firmat, Legati Pontificis Stephani superveniunt, & exhi-
 bitis literis summopere rogant, ut concilio Roma habendo suo & fra-
 tris Carolomagnum nomine duodecim Episcopos è Gallia destinaret. Magna
 tum Sedis Romanæ confusio & de summa dignitate concertatio
 erat exorta, Constantino aliquandiu fastigium illud tenente. Hic
 frater Totonis ductus Nepefini, nullis unquam factis initiatus, post
 Pauli primi obitum à Desiderio Langobardorum Rege, pecunia,
 ambitu, postremo vi intentata obtrusus Romanis Pontifex fuerat:
 non jam obscuris Langobardi machinis: morte enim Pipini solu-
 tus metu, ac filiorum despectam habens juventutem, quo res
 procederet tutior religionis nomine, per suarum Pontificem par-
 tium de totius Italiæ dominio consilia agitaverat, sed ventente an-
 no Romani ira & indignatione perciti, quasi vero eminentissimæ
 sedis reverentia aliena temeritate in tantum proculcanda esset,
 Constantino gradum abrogant, vitæque solitariæ mancipato sub-
 stituunt Stephanum tertium eius nominis, virum (ut Platina qui-
 dem ait) eruditum & strenuum rebus agendis. Qui suscepta
 muneris sui cura, concilium convocat, in quo dum præter Ro-
 manos Antistites Italiæ & circumjacentium regionum, nec non
 duodecim è Gallia, quos in gratiam Stephani Carolus submiserat,
 conveniunt, sancitum est, ne quis postea ad Pontificatum maxi-
 mum aspiraret, nisi celestibus curis rite consecratus, per sacros ordines
 ad summum illum honorem ascendisset. Adhuc omnia Constantini
 acta rescissa sunt, edicta eius igne combusta, episcopi cæterisque
 sacerdotum, quos ordinaverat dignitate sua privati, ac pristinos
 gradus recipere iussi sunt, usque dum certioribus pietatis & doctri-
 næ experimentis clari, honoribus istis digni judicarentur. Eodem

XII.

XIII.

in Concilio, Græcorum sententia erroris damnata est, qua Sanctorum imagines templis summoventas præceperant, nam & tolerandas factis in locis & veneratione quæpiam colendas esse Patres censuerunt mox decreti forma, Cæsari Constantino, Copronymo, qui res Orientis tum curabat, transmissa est. At CAROLUS subjugata Aquitania in Germaniam proficiscens, Vornatiæ conventum habuit: vbi per motus populi precibus sancivit, *ne Episcopi ac sacerdotes, si quando belli tempestas populum patriis laribus exciret, cogerentur cum cætera multitudine communibus periculis interesse: transigerens potius domi, pacis optatam vicem, gererentque animarum curam, quam necessitas pugnandi penasibus non abstraxisset.* Insequenti tempore Carolomannus repentino quidem sed, (vt videbatur) vtili Reip fato, abripitur: nam postquam auxilia fratri contra Hunoldum denegasset, nunquam plena inter eos gratia redierat, amulatione ac odio sensim emergente: adeo difficile est, & vnus imperij corpus duobus animis committere, & concordiam retinere, præsertim si Carolomannum spectes, cuius ferociori ingenio abusi proceres, quocunq; liberat, iuvenem trahentes, perpetuum cum fratre dissidium aluerunt. CAROLUS morte eius audita, confestim in villam Carboniacum pervenit, & ab Episcopis, Sacerdotibus ac Comitibus Carolomanni, colloquio prius habito fraternæ ditionis habenas suscepit, jamque omnis Galliæ Rex salutatus, Vornatiam regreditur. Bertha Carolomanni vxor cum liberis ad Desiderium Regem Langobardorum se contulit, neque post mortem mariti CAROLO confisa, quem vnicum viduati thori solatium habere poterat. Interim ille secundum in Vangionibus conventum cogit, & concedit sacerdotibus, *vt impæterum accusati criminis à populo, nisi idonei testes reos convincerent, iurando se purgantes, soli Deo innocensiam probarent, ac eodem teste pterentur.* Mox armata manu in Saxones movet. Ea gens religione profana, artium rudis, armis strenua, sed ferocissima inter Germanos, Thuringorum tum fines late vastaverat, brevi Francipibus ipsis timenda, nisi in tempore adhuc incursionibus istis obviam iretur. CAROLUS vt & impetus eorum retunderet, simulque insitam animis superstitionem deleteret, Saxoniam irrupit, Eresburgum nobilem munitioibus locum expugnat, præterea igne

XIV.

ea igne ac ferro cuncta pervagatus præcipuum gentis Idolum *Ze-
tunsul* ab Arminio forte clarissimo olim Germanici nominis vin-
dice sic appellatum, cum cæteris Saxonum fanis exscindit. Nec ab-
fuit divini Numinis favor tanto studio religionem promoventi.
Quippe intentus demolitioni, & per acerrimum solis fervorem,
rivis ac fontibus, qui circa erant, junctis aqua sua destitutis, to-
tum exercitum siti laborantem habuit, qui tanto cruciatu affli-
ctus, vere ludibrium fortunæ, hostisque spectaculo expositus, tan-
tum ferociam eius ingruentem expectavit: cum subito juxta vici-
num castris montem, in cavo exsiccati torrentis tanta vis aquæ
profluxit, ut facile maceratis corporibus subvenire, ac reficere
languida membra omnes valerent. His ita compositis **CAROLUS** in
Franciam revertitur, ac paulisper moratus in villa Theo-
donis Australiæ tum civitate, legatum Adriani Pontificis, (qui
nuper Stephano successerat) præsto habuit, edostusque ab eo,
quanta perfidia Desiderius cum Pontifice agerat, vindicare hunc à
Langobardi iniurijs decrevit. Res ipsa hortari videtur, quoniam
hoc bello Longobardorum opes & imperium cecidere, tantæ mu-
tationis causas vberius exsequi. Desiderius morte Aistulphi be-
neficij Pontificis Stephani II. Rex Longobardorum creatus, as-
sumto etiam in regni consortium Adalgiso filio, dignam aliquan-
dia regia majestate vitam transegit. Sed iniquior fortunæ Fran-
corum, crescentemque veritus **CAROLI** potentiam, simul quod
Pontificibus amiciorem eum videret, quos tamen aut penitus
submotos, aut suarum esse partium, magnopere contendebat, in-
surgere paulatim, ac Pontificis ditionibus cæteræque Italiæ infe-
stus esse cœpit. Multa primum occulte ac clandestinis insidijs a-
gebantur, postmodum ubi fraus eius, quam electione Pontificis
Constantini paraverat, elusa esset, nec non Michael quidam,
quem pari audacia & intentione in Sergij Ravennatum Archi-
episcopi locum suffici curaverat, dignitate privatus, successorem
justis sacerdotij comitijs designatum, Leonem accepisset, violentius
sefe commovit. Arridebat præterea occasio vel maxime bel-
lum cupienti expetita, in tantum ferocioribus ingeniis speciosi
prætextus animos & arma subministrant. **CAROLUS** ante
quam isti motus exarserunt, matre Bertha procurante Lutbergam

XV.

XVI.

Desiderij filiam in matrimonium legerat; at anno vix elapso permotus repugnantis animi stimulis, siue quod inhabilem ad generandum crederet, siue quod turpe sibi duceret, cum gente externa, cuius ut origo obscura, ita nomen fere everfionibus regnorum nobile esset, sanguinem miscere, aut ipsam affinitatem insidam Desiderij impotentia suspicaretur, expulsa maritali thoro, ac patri remissa, Hildegarden illustrem feminam inter Germanos superinduxerat. Ingentem adversus CAROLUM iram Desiderius hoc facto concepit, indulgensque futuri male pressam hactenus invidiam pariterque dominationis consilia tali modo exequi statuit. Ab Hadriano Pontifice Maximo, quam ei sicut & Antecessoribus simulato fœdere aliquoties illulisset, precibus contendit, ut Carolomanii liberos, quos ipse cum matre Bertha, ceu prædiximus, à fuga in tutelam receperat, Gallia Reges inungeret; morte parentis & ætatis conditione, quæ maxime opportuna iniuriis esset, ab amplissima spe decidisse, aiebat, CAROLUM celeritæ temeritatis consilio præripuisse terras junioribus, in quas tamen parentum dignitas & natalium iura illos inserent: Simul delinisse procerum animos, ut omnium consensus vnus obtegeret audaciam: *Cavendum ne prima felicitati impetu ad maiores iniurias Virum bellandi cupidum incitaret: Italiam sub diversis pretextibus iudem, ausu expositam: succurrendum denique parvulus, quorum exemplo, nisi prospiciatur, regnandi libidini velus fores aperirentur.* Hadrianus quoniam sciret Desiderium non misericordia profugorum ad hæc obtinenda adduci, sed quo res Francica vnicum Sedis Romanæ certissimumque distraheretur præsidium; ac reddito vel pernegato pusillis regno, turbaretur, & CAROLUS coniunctissima amicitia hactenus Pontifices complectens alienior fieret; permoveri non potuit. nec sefellit Desiderium, qui certus negatum iri quod postulaverat, vix exspectato responso Exarchatum ingreditur, Comaclum, Faventiam, & Ferrariam occupat, in Ravennæ obsidione, quæ vrbis strenue defensionem paraverat, aliquandiu moratur. Jactatum extemplo inter partes de conditionibus pacis fuerat: ac Longobardus *cuncta Romana ditioni restitutum se promiserat, modo Hadrianus omissa legatione presentiam ipse suam ransu rebus commodaret.* At Pontifex perfidi hominis insidias veritus, quum

& re-

& recuperari posse amissa ægre certheret, nec vires in propinquo appaterent, legatum in Franciam mittere statuit, qui exposita CAROLO imminenti calamitate, auxilium eius sollicitaret. Terrestre iter, quo per Longobardiam & Alpium juga appropinquatur Allobrogibus, mox perniciosa Gallia, non infestum modo, sed Desiderij copiis omnino interclusum erat: itaque Petrus qui nomine Hadriani Regem salutare debuerat, mari infesto Massiliam vsque provectus, non segni cursu viam, quæ ad Theodonis villam ducebat, emensus est. CAROLUS vbi primum de insolentia Langobardi cognovit, legationem in Italiam direxit, qua denunciaretur Desiderio, *abstineret à regione non tam Pontifici subiecta, quam ipsi Ecclesia consecrata, contentusque propria imperij gloria cederet alienis sinibus, neu pacem turbaret Italia: nisi consentiret æquissima petitioni, Franco Regi tutelam sacra sedis incumbere.* Ille interim non cessabat, sed præda è sinibus Senogallia abacta, vastatisque incendio oppidis, jam Ælij Urbini & Eugubij potitus erat: postquam verò à legatis mentem CAROLI percepit, imminens Spoletone nunciari iussit Hadriano, se voti exsolvendi gratia Romam venturum. facile intellexit Hadrianus vim subelle, cumque audiret ingens agmen eum sequi, ne inordinatam urbem subita irruptione terreret, portas omnes clausit, præsidia ex Romanis, Campanis, Tuscisque contracta, suo quæque loco disposuit, præterea opes & ornamenta templorum quæ extra urbem avaritiæ hostis obnoxia erant, mœnibus inclusit. Tribus deinde Episcopis injungit, *ut profecti ad Desiderium, ulteriori progressu ei interdicerent, nisi audiens esses dicto, carmen quoddam, d. risimio execrationibus referum in caput eius effunderent.* Movit hominem, sive loci reverentia, sive horrendi carminis lex, & agro Romano quidem excessit: nondum tamen belli tempestas detonuit. Etenim Rex Francus comperto legationem irritam fuisse, ac sua lenitate roboratam hostium malitiam ratus adesse tempus rei gerendæ subjectas Italiae oras novo fulmine perstrinxit. Præter *Baronium Sigonius* accuratè in hisce circumspeditionis vtr author est, CAROLUM antequam auxilia promoveret, conditionem proposuisse Desiderio, *ut acceptis quas nordecim millibus solidorum Hadriano quietem indulgeret, ac restitueret ablata.* nihil magis apud obstinatum hæc valere: o-

XVIII.

XIX.

pus erat vi contra eum, qui solis sceleribus flagitia sua defendi posse crederat. Proinde in Allobrogibus conventu habito, coactoque de Concilij sententia exercitu quid agendum sit cunctos edocet: eundem esse adversus gentem, quae ab humili & sordida origine eo magnitudinis creverit, ut iam nimia felicitate labores: postquam armata manu nobilissimam Italia partem insedisset, regnandi cupidine stimulatam, de totius dominio vindicando consilia agitare: ipsas Pontificum maximi terras, & privatarum Ecclesiarum domicilia huic furori parere: quibus non delectam animis eorum religionem censeret, quorum rapacitatem, nec divina maiestatis reverentia notaretur: aut quibus ullam regionem ab istius populi ferocia immunem crederet, cuius iniurias nec sacra Deo loca effugerunt: Satis enim constare quibus molitionibus Gallia quoque felicitatem tentaverint; Desiderium Regem infidæ gentium Carolomanni liberos in sceptrum adserere, dum Pontificem ab amicitia Francorum divellere laboraverit, non sibi modo ac regni sui fortuna struxisse insidias, sed inhiavisse Francorum opibus, ac libertatem illam, solo nomine terrarum orbi probatam impetuisse: quamobrem strenue pergerent in illum hostem, quem celeriter obruisse victoria fuerit, tarde vincere discrimen: spem omnem non in fuga, sed fortibus lacertis ponerent: denique & istud fortuna munus agnoscerent, quod in aliena terra suus hostis venias ipsi debellandum. Excitatis hac ratione militum animis iter pronunciari jubet. Alpes à vadis Sabatijs (hæc Ligustico mari obiacent) exsurgentes per omnem Italiam, qua Galliarum, Vindelicia, Norico vicina est, ad Flanaticum usque suum continuantur: inde varia sortiuntur nomina, prout situ suo oppidum aut celebrem locum contingunt. Ubi à sinistro latere Velaunos & extrema Allobrogum, à dextro Pedemontium & mox ipsam Lombardiam spectant, Cottiarum appellantur, in his mons Cinisius insignis est, quem CAROLUS cum parte copiarum transcendit. Reliquus miles Duce Bernardo montem Iovis propius Septentrioni obiacentem penetravit. Dejectis utrinque Desiderij præsidii, quæ hostium incursionibus opposita erant, circa Taurinum agrum sociant exercitus, unita virtute Longobardum excepturi. Ille cunctas regni vires ad Taurinorum & Prætoriam augustam collegit, ut si forte CAROLUS perruptis Alpium faucibus in campos descendisset, illius impetum haud dubie tanta manu coercere posset. At postquam cædem suorum inaudisset percussus subita

calamitate, ac trepidans, relictis mukā opulentia ditibus castris, Ticinum urbem munitionibus tutam confugit; CAROLUS fugientium terga insequutus, multos interfecit, & confestim obsidionem Ticini pariter ac Veronæ, quo filius Desiderij Adalgisus cum Bertha & liberis Carolomanni se receperat, meditatus est. Multos jam illa clades Pontifici reconciliaverat: Spoletani primum nobiles, qui in Francos ire etiam antea recusarunt, mox ad horum exemplum, Anconitani, Auximates, Firmani supplici habitu Romam profecti, veniam ab Hadriano exoravere: quidam seu moderatione Pontificis, seu sanctitate vrbis (vt videbatur) capti domicilium ibidem fixerunt. Non multo post Veronæ deditio sequuta est. Adalgisus desperatis ac ferme perditis rebus, antequam veniret in potestatem victoris clam fugam præripuit, delatusque celerrima navigatione Constantinopolim apud Imperatores Græcos in patriciatus, quem vocant, honore, consenuit. Bertha se ad adolescentulos adveniēti CAROLO dedit, quos levi castigatione verborum receptos in Franciam misit, ac summo deinceps honore coluit. Cæteræ vrbes, non tam armis, quam nominis terrore superatæ. Circa Ticinum tota belli moles confedit, sex menses in obsidione jam consumpti erant, nondum certa spe expugnandæ vrbis. Propterea, ne omne illud tempus inutili cunctatione tereretur, cupido Regem incessit Romam contendendi, vt debita veneratione divino cultui interesset, (festum enim resurrectionis Domini appropinquabat) simul confirmaret amicitiam cum Pontifice, ac de vniuersa belli ratione consilia misceret. Hadrianus vbi de adventu CAROLI certior factus est, digna pompa culturus tantum Regem selectos è nobilitate Romana ad tria millia homines cum patronis Scholarum ac pueris, olearum ramos ferentibus obviam ei misit. Adventantem ad ædes B. Petri excepit, statimque mutua salutatione ac reverentia perfunctus, Regem in templum deduxit, ibi confirmata amicitia, fœdusque tacta Apostolorum arā renovatum est. Quatriduum deinde visendis templis ac veneranda Sanctorum memoria consumpsit. Diem festum, quem à resurgētis Christi triumpho grex sacer celebrat, apud Pontificem egit; sed rebus divinis rite peractis, Pontifex decentissimo apparatu per Oratorem suum *beneficia Regum*

XXI.

XXII.

Francorum in Romanam sedem, meritis laudibus crebri, ac presenti CAROLO gratias agi curavit. Hinc Martelli ac Pipini pietas, benevolentissimus erga Pontifices affectus, fides ac fortitudo commemorata: CAROLUM ex quo id fastigium ascendisset, unde miseri omnes & egenes auxilium solarium expectarent, pari cum patre avoque gloria certasse. Permotum enim gementis Ecclesie precibus, transisse cum instructo exercitu Alpes, iret quod hostili ferocia sepeferat, ferro sibi patefecisse, compulisse in fugam hostes, oppida sine vi sine voluntaria deditione recuperasse: Restare unicam urbem, magis desperatione quam virtute Longobardi defensam, nec illam tamen diutius felicitatem victori remoraturam, omni namque spe externa opis submotam, & urgente civili dissensione, nihil superesse consilii, nisi ut facta deditione Regi gratiam mature experiatur. Postridie quum edocuisset CAROLUM Hadrianus, quanta liberalitate olim Pipinus Sedi Romanæ adsignavisset terras, quas ab hostium & præcipue Aistulphi infestationibus vindicasset: ille hanc donationem non modo ratam habuit, sed & amplissima parte auxit. Restituta primum; quæ Desiderius surripuerat, tum Exarchia Ravennatum, Ducatus Spoletanus, Beneventum in agro Neapolitano, & haud parvæ Longobardi ditiones adjectæ. Hanc communem Scriptorum opinionem neque probare neque refellere in animo est. Scio etiam quosdam memoriam prodidisse, Corsicam, Sardiniam, Siciliam pari jure ad Pontificatum devolutas: nunquam verò mihi persuaserim, tantæ modestiæ ac ferme lentitudinis fuisse Pontifices, ut tam opulentas provincias negligenter: præsertim si avaritiam eorum spectes, qui ab omni ævo, unde spes aliqua majoris potentæ affulsit, avidas manus statim exseruerunt: adhuc probatissimi Authorum vel in dubio relinquunt stupendum hoc munus, vel plane silentio transmittunt: certe Platina, qui ex Anastasio sua hausit, tantum Corsicæ meminit. in epistola vero Hadriani ad Constantinum, cuius partem Sigonius transcripsit, nondum reperio, cur per provincias istas, & castra, & civitates, Sicilia cum cæteris insulis sit intelligenda. Cæterum Pontifex tot beneficiis excultus à CAROLO, quanquam fortuna & majestate eius nihil fere dignum retribuere posset, statuit nihilominus qua liceret occupare gratitudinis officium. Creavit itaque *Patricium Romanorum*, qui tituli honos Augusto Imperatorum nomini velut præluderet: &

XXIII.

XXIV.

convocato CLIII Episcoporum concilio confirmavit *ei jus legendi Pontifices, Episcopos, ac ceteros sacrorum ordines, addita lege, ne quis, nisi ab ipso probatus recipiat curam in se aut gradum aliquem sacerdotij.* Id quamvis acerrime impugnet *Baronius*, tamen suæ religionis scriptores certatim adversos habet. *Gracianus* inter Canones Juris Pontificij retulit; *Sigonius* cum *Ganguino* affirmat: imo & *Platina*, dum in vitis Nicolai I & Hadriani III. refert eas fraudes, quibus declinare ab humeris suis id Pontifices onus laboraverint, fuisse talē Imperatoribus potestatem non diffusetur: neque aut nimia quorundam lenitas Pontificum ambitionem & pervicaciam absolvet; nec Papale fulmen specie religionis gravissimas evomens minas eius roboris erit, ut iustissimam licentiam manibus Principum excutere possit. Vidi denique Codicem Germanico sermone conscriptum *Joannis Königshovij*, (quem Sacerdotis munere apud Argentinenfes functum, sub Venceslao Caroli IV. filio Imperatore vixisse, non levis est conjectura, ad hunc enim & Urbanum VI Pontificem historiam pertexit) convenientem prædictis sententiam foventis: sed & idem addit *Hadrianum III. maxima vi annisum, ut hoc jus elideret, cuius vigorem tamen non desisse per centum amplius annos Imperatores integrum conservare.* Nobis non licet tot ambagibus continuum orationis filum interrompere; redimus nunc ad expeditionem CAROLI, & quid actum sit obsidione Ticinensi exequimur. Rex postquam octo dies Romæ commoratus esset, Ticinum regreditur, quam Bernardus interim strenue oppugnaverat. Obstructi undique aditus magnam in vrbe cum summa caritate inopiam fecerant, nisi dederetur, spem habuerat CAROLUS sedendo eam expugnandi: Veneti quoque jam tum terra marique pollentes sponte naves adverso Pado submiserant: Spectabant omnia ad Desiderij exitium: obsessi aut fame enecti, aut pestilentia afflicti, tandem inmutua dissensione semet ipsos lacerabant. Igitur deditione sequuta CAROLUS Desiderium in potestatem recipit, & increpitum quod eam tempestatem, perfidiosa animi pravitate excivisset, cum vxore Ansa & liberis Leodium Eburonum relegat, ipse per Mediolanensem Archiepiscopum, *corona ferrea*, (vnde mos posteris Imperatoribus mansit) caput redimitur, & decoratus regni insignibus externæ dominationi finem imponit. Longobar-

XXV.

XXVI.

di ab Alboino Imperij conditore in Desiderium tres & viginti reges habuere: hi ducentos per annos maximas res in Italia gesserunt, ut nisi moere ingenij humani, quo plura habebant, eo ampliora affectassent, vix convelli tanta potentia sine convellentium insigni discrimine potuisset; at quoniam pietatem, fidem, & omnia honesta postposuere dominandi consiliis, & currentis seculi fata, CAROLUM quasi ad orbem in nova imperia formandum excitârunt, vna ruina omnis illa vis provoluta est. Ante tempus subactæ Langobardiæ Saxones metu levati in agros Hallorum excurrunt, & populationibus non consenti ædificia profcindunt, ac templis ignes subiciunt. Quædam manus prope *Eresburgum* oppidum, ausa consecratum S. Bonifacio sanum incendio perdere, cælesti vi perterrefacta, domum refugisse fertur. Cæteri *Eresburgum* validis conatibus adoriuntur. Primo egregie à Francis defensum est, cum deinde eruptionem tentassent, hostis simulata fuga in insidias protractos, non parva cæde multavit; sed pauciores nihil quicquam de virtute remiserant, donec subinde attriti oppugnationis malis, ea lege castrum Saxonibus permisissent, ut salvis rebus suis *Sigeburgum* concedere possent. Ibi sociatis viribus, (nam Franci præsidio locum firmaverant) denuo hostium vim experiuntur. Felicius tamen defensio cessit, & Saxones constantia adversariorum simul longæ obsidionis tædio permoti re infecta abierunt. Interim Rex ancipiti suorum fortuna percussus confestim ex Italia Duriam venit, & adisposita isthuc rerum sacrarum profanarumque serie, Saxoniam aggreditur. Prima congressione hostes pulsati in fugam se coniecerunt, Ostphali pœnitentes in fidem recepti, restitutum *Eresburgum*, quod Saxones mœnibus nudaverant. Levis tamen clades turbaverat exercitum. quippe milites, quibus cura quærendi pabuli incubuerat, effuse castris exeuntes non tam pabula quam prædas quærebant, utebantur plerique ornatu & sermone Germanico, ac ubi spolia legissent, militari licentia vagabundi castris rursus appropinquabant. jam tenebræ eripuerant lucem, & callidi hostes observata Francorum socordia, cæterum culta & oratione non absimiles de industria manipulis illorum se immiscuere. Postquam hoc modo in castra delati sunt, ingentem tumultum concitant, & Francos partim sopore graves, partim subitaneo malo attonitos

XXVII.

tonitos prosternunt, strictoque ferro per tentoria discutientes, caedibus omnia complent: Non alias magis emicuit, quid necessitas pugnandi valeret: CAROLI milites omni fugiendi spe præcisa armati Saxonibus obviam eunt, & promptissime dimicando eum terrorem incutiunt, ut sensim castris excederent, ac beneficio noctis ad tutiora relaberentur. Quod cum Regi nunciatum fuisset, quanta potuit celeritate fugientes insequutus, haud modica clade multavit: questus etiam militare admissum esse flagitium ab iis, qui stationes servare debuerant, paucos ignominia notavit: ceteros severiori oratione sui muneris admonitos præsentem maculam fortitudine in posterum expiare iussit. His ita gestis in Franciam revertitur, exercitumque in hyberna distribuit. At vertente anno certior factus de novis quorundam Langobardorum molitionibus immane novi ac resurrecturi in Italia belli extinxit initium. Siquidem Rotgaudus, quem Rex prostratis Langobardorum viribus, ne odio gentis expeditio suscepta videretur, ut Beneventanis Aragisum, Hildebrandum Spoletanis, sic Foro-Julien-sibus Ducem dederat, præsertim impulsu Adelgisi apud Græcos Imperatores delitescens, Italiam veteri dominio restituere cogitaverat: & exercitu coacto publice denunciaverat, *qui Rem Langobardicam salvam vellent, se sequerentur.* Nihil æque ac celeritas Francis profuit. Fortissimi militum in eas oras præmissi, cum rebellibus acie decreverunt. Rotgaudus inter occisorum cadavera exanimis repertus est, ac spiritum, quem supplicio debuerat, prælio reddidit. Rex felicissimi prælij gaudio refectus, Præfecturam Foro-Juliensem Hentico strenuo homini commendat, finitimis regionibus Stiria, Carinthiaque additis. Iam perfunctus credebatur frequentium bellorum incommodis, cum perfidia Saxonum aucta sunt. Namque vix pedem retulit, & illi iterata vice Eresburgo vim intentavere. multo acrius quam antea processit obsidio, adis cuniculis subruere muros, & unita quasi ferocia, in petum in castellum facere constituerunt. Quum fervidissime oppugnationem vrgerent, Præfectus loci eruptione repentina nil tale cogitantes adortus, magna strage affecit, ut solvendam obsidionem censerent. At prostrato Rotgando non distulit Rex in Saxoniam iter, statim conventum *Fortinacis* celebravit, ac ordinatis more recepto sacris & civilibus ne-

XXVIII.

XXIX.

gotiis, (hæc enim Pipini temporibus consuetudo inoleverat, ut quoties annus rediret, semel ac iterum congressus indiceretur, & cum Rege optimates viderent, *ne quid Respubl. detrimenti caperet*, vigilarentque in imperij commoda, seu bello seu pace opus esset, imprimis verb. Sacrosanctæ religionis & divini cultus curam gererent,) agmen ultra Rhenum promovit. jam terribilis VVestphaliz imminebat, flammaque ac cædibus, qua patebat regio, infestus, ad Luppæ fluminis fontes hostium copias oppertebatur: cum illi sordida veste, capillo barbaque promissis, & omni supplicantium habitu ad misericordiam commovendam conquisito, CAROLUM deformes, ad eum, ac petita delictorum venia, Regem suæ clementiæ admonitum, ita movent, ut extemplo præteriti furoris gratiam faceret: ergo jurisjurandi religione fidem rursus obstringunt, multi quo obsequendi promptitudine CAROLO se infinuarent, cælestis lavacri rore adpersi, cœtui Christianorum associantur. Insequenti tempore CAROLUS Paderbornam ad Concilium habendum omnem Saxonum gentem convocat: ibi de præsentium rerum statu & sua in illas regiones cura, quædam præfatus, id sibi maxime cordi esse agebat, *ut qui vno imperio & cælo protegerentur, vnum etiam cæli Dominum agnoscerent, nec agnoscerent tantum, sed & eandem illi fidem animo, eadem ore laudes offerrent: Cognovisse hærens gentiles, quid Christianorum Deus posset. Hunc ante suos in acie stare, & omnes hostium conatus & machinas eludere: proinde coram Sanctissimo Numine genua flectant, recipiantq; signum, quo in terris nullum illustrius Christi socios à reliqua impiorum multitudine scernit. Saxonibus, etsi diversa sentiebant, non fuit consultum intempestiva pertinacia victorem accendere: quamobrem nihil optatius sibi evenire respondent, ac rursus ne dilatio simulationem proderet, largissimis verbis obedientiam promittunt, simulq; plurimi sacra baptismatis vnda abluuntur. Vitekindus vero præcedentis bellidux & concitor, cæterum mente & manu strenuus, jam ante quid ageretur coniiciens, ad Sigefridum Danorum Regem profugit, novas patriæ turbas mox exciturus. Sed dum Rex moratur Paderbornæ, Saracenus quidam Ibnalarabas nomine, Cæsaraugustanorum in Hispania regulus, conquestus fortunas suas, & qua violentia à Saracenis patrio regno pulsus, exilioque damnatus sit, his:*

XXI.

XXII.

fer.

ferme verbis in publico concilio animum exsolvit: *Tua virtute an infelicitate mea factum dicam, Rex potentissime, ut inter sordidas gentes, (quas & barbaros appellati) sumam tanti nominis excipiens, per longinquas terras ac visa pericula te convenire auderem? Nam & mihi fortunam omnibus deiecto; homini sine pignore, sine lare, circumspicienda sunt undique auxilia, quibus inimici suo scelere tumidi, superesse adhuc iuris & aequi vindices admonentur. Virtutem vero Tuam ita suspexi, ut quanquam arietibus alienus, Tibi praecipue supplicare voluerim, in quo & mali perniciosam & miserum perfugium esse certo credidi. Caterum inter Saracenos Hispaniam incolentes, ego non postremus, agro quem dignatio & fortuna sat amplum concesserant, contentus fui: non invasor alienae ditionis, sed amicus omnibus, & pacifice populo meo imperitans, otium validius quam curas dilexi: adhaec cum nostri interdum Gallia oras & imperium tentarent, mihi nunquam placuit, eius libidinis participem existere. Sciebam enim Saracenos hoc nomine totius orbis odium meruisse, quod morem sua audacia gerentes, iniustum imò nullis de causis quietem externorum lacerarent: indetimens, ne collecta aliquando, in Pyrenaei montibus nubes, sollicitata procella gravem Hispania imbrem daret, sapius adhortatus eram, de retinendis potius, quam proferendis finibus cogitarent; omnem molem magnitudine nimia collabi, difficilius esse provincias obtinere, quam facere, viribus parari, retineri jure; maius autem dedecus esse, partem amittere, quam omnino non paravisse: quod si ultra progredi auderent, velut ad commune extinguendum incendium universa Europa incolas consurrecturos, quid Gallia possit, quas Italia vires habeat, qua fortitudine Germania celebretur, ostendebam, nec Hispanos suam deserturos causam, quippe tumidas inflatasque cervices necdum adsuetas servitutis vinculi facile ab imposto resillire iugo: etiam sub exemplo, quanta clade Carolus Martellus hanc ferociam domuerit, quid damni Pipinus influxerit, quo corporis & animi vigore Tu notus sis, docebam. Sed dum talia montibus meorum ingero; pro gratia irrisum & contumelias, pro benevolentia odium; consequor, & quos optimo affectu servatos cupiebam, illi me sedibus avitū eiciunt, inopem, extorrem & deformatum erumini: alienos dominos, quibus cansopere faverem; querere iubent. Quid facerem o heros, aut cuius auxilio protegerer? Peterem cursu Africam, & extrema Oceani litora? at quomodo per medios hostes, interq; atrocissimas gentes, vice omnibus fortunū charioris consulere? Effugerem in Europam? quis ex Reip. Christiana capitis fidem habebis profugo Saraceno?*

XXXIII.



no? hic enim vltimus infelicitatis veluti gradus est, quod nondum infelix aut indigens credor aliena opus. Sūmo scelere domo exturbatus sum, ideo quia sceleratus esse nolui, nihilominus multi me hostem, plures proditorem nuncupabunt, lenissimi certe iusignis flagitij reū dicent, & ad decipiendos hominum animos circumerrare. Præterea si vel maxime fidem invenirem cur vobis prius oneri esse, quam vsui cogerer, quo signo, quibusve obsidibus caverem de animi gratitudine? Sic denique parum per se tuta innocentia nullibi patrociniū gauderet. Tuum vero candorem, celeberrime Regum, cuius clementia huc me adegit, obsecro ac restor, serva apud Te hominem, & captivum tene, qui per suorum perfidiam Tibi suspectus est. aut si magis è rei commodo ac certitudine eris, vel ipse proficiscere, vel armatam manum in Hispaniam ablega, qua idoneis viribus meam extorquebit felicitatem, tua autem potentia cumulum addes: demum videbis indicem verum esse, tuaque commotum iustitia, eas terras in auxilij spem petiisse, quas ceteri in belli materiem & laetociniorum spolia exoptarent. Age quaeso & regionem illam, (pudet dicere, sed veritas adfectum vincit) iniustus eripe possessoribus, reprime effrenem licentiam, qua satis hæcenus orbi illusum est. contunde imperia quibus florentissima regna cefferunt, siste fluctus, qui amplissimas inundavere provincias. ego vbi placebit, præibo Tuis ad expeditionem iter, pandam omnes aditus, describam opera & situs urbium, explorabo hostium consilia, quorum remittas ad primum adventus Tui nuncium, velut animalia quadam amisso aculeo, languescet: iam dexteram illam expavescent, cui Hunoldus nuper succubuit, Lupus se submitit, iam fracti Desiderij, quem paulo ante potentissimum Langobardorum Regem orbis loquebatur, fama ad Eos pervenit, iam etiam, sed serâ astimatione perpendunt, Pyreneos montes neutiquam remorari, quem Alpium iuga, perpetua nive horrida admiserunt. nihil sciam tam alte natura constituit, quo virtus non passerit eniti. Expeditum insuper est ac mobile agmen Tuum, illi præda graves: implicatos ergo spolijs terrarum orbis obruncabis, eademque res Tuis militibus & causa victoria erit & fructus. Hoc immensa gentis multitudo Te moveat: cum illic major turba hominum, hic virorum sit. Certe quoties nunc efferam Saracenorum vitam, & Maiorum tuorum edita in eos fortitudinis exempla menti meae subiticio, toties existimo fata sic ordinasse, vt imperium quod ab annis quinquaginta secundo cursu in Hispania obtinuerit, magno motu adstigeretur: nihil enim potest esse diuturnum, cui non subest ratio, hæc autem maxime deest cum intra certos limites imperium non contineatur. Quamob-

rem surge fortissime Imperator, quo propior Deorum factū & virtutibus hodie nemo vivit, & subverte molem suo pondere titubantem. Pipinus parens Tuus dum Cantabros nuper ab insultu Saracenorum defendit, magnam gloriam meruit; & ille quidem amicis succurrendum putavit: tua tempora illustrior laurus tinger, non enim sociis tantum, sed & qui inimici videri poterant auxilium submittis, & hoc beneficio reges ex hostibus amicos tibi comparas. Tu vero de meo affectu nunquam dubita domine: porro sic teneo: me quamprimum felice alite Hispania intraveris agros, ad vestras accessurum aras, & sancto honore culturum istud Numen, cuius vis ac virtus in Tuorum operum magnitudine se hactenus exseruit. prostrato denique hoste, si ad patrios lares, & civium meorum tutelam perentem remiseris, regionis tantummodo procurationem tibi datam, jus vero & imperium penes Te esse arbitror. Hac oratione habita Saracenus concilio excessit. Tum proceres & amici Regis sententiam rogati bellum maturandum censent: quamvis enim de fide Saraceni nondum constet, enim tamen elabi non posse justam præterea indignationem inducere Francis hac arma: quippe qui al. quoties a barbara gente tacestis patienter hucusque tulerint infidias: nec dubitandum esse de instructissimo exercitu, promprissime enim Christianos omnes in communi causa, paribusque premiis atque periculis contra religionis hostem vires suppeditaturos. CAROLUS exploratis suorum animis in Galliam proficiscitur, numerum militum recognoscit, novos in supplementum legit, & paucos dies externa opperiendo auxilia moratur. Sed perlato belli Saracenicorum more, multi ex Britannia, Galliarum & Germaniæ regionibus, quæ pectora virtutis & gloriæ fervore succensa erant, ad Regem confluxere, primusq; Rolandus Caroli ex sorore nepos, juvenis genere nobilis, manu fortis, ardorem animi vultu oculisque præferens, cum Patre Milone & Comite Oliverio operam obtulit: Galdeboldus Frisiæ, Araftagnus Britanniæ & Gaiferus Burdegalenſium Reges celeriter adfuerant; præterea Engelerus Aquitanorum dux ac cæteri Principum, Comitumque, Anshelmus Palatii Comes, (quorum originem à Rolando quidam deducunt) Orlandus, Ogerius, Rainaldus, eximia fortitudine & bellicæ rei scientia illustres, non segnus iter emensi sunt. Nullum genus auxiliiorum repudiatum fuit. Etiam Daniæ juventutis aliquot proceres, studio armorum excitatos eo contendisse, interque belli du-

XXXV.

XXXV.

ces receptos, *Paulus Aemilius* prodidit. Ergo postquam tot strenui homines convenissent, adunato agmine ultra Pyrenæos montes in Hispaniam descensum est, visumque Pampelonem obsidio tentate. Terror inde Saracenos invaserat, & ferocissimi spiritus paulo ante Christiano nomini illudentes, audito istius irruptionis nuncio, animos deiecerant. Sed celeritate Francorum simulque obsidionis angustiis comprehensi, quum præsentius remedium non succurreret, mora frangere hostium conatus statuerunt. Tutres & machinas, quas Franei ad expugnationem maturandam produxerant, incendio corrumpere, ac variiis artibus destruere ausi sūt paucos tamen dies oppugnationem toleravere, Francis captum opus fervidissime urgentibus. Tandem vnito impetu conscensū muri, vrbs vi capta est. Hinc ingens clamor oritur, ac primum cædibus per omnia compita victores vagati ferrum in obvios stringunt, fugere dubitantes & consternatos trucidant; non querula vox surdas aures ferit, non misericordia aut deprecatio mortis, avidos sanguinis enses sustinet, miscentur sanguine lacrumæ, & congestis cadaveribus viæ teguntur: Dein vbi exsatiata libidine ira paulatim sedata est, CAROLUS prædæ inhiantes revocat, & Saracenos ea conditione in fidem & gratiam recipit, vt abjecta Mahumeticarum fraudium larva, Christi doctrinam sequerentur. Ac ne in posterum rebellionis materiem haberent, muros vrbs funditus excindit, quæ vindicta fabulæ locum fecit. siquidem CAROLUM per tres menses obsidionem traxisse scribit *Turpinus*, frequens in eiusmodi figmentis: cum nulla deditiois spes apparet, precibus commendasse suam expeditionem Christo & Iacobo, quorum hortatu suscepisset: statim evidenti miraculo colapsa mœnia, urbemque munitionibus destitutam Francos intravisse. At postquam expugnata Pampelone Regem ultra Iberum venisse fama nunciaverat, Casaraugustani exemplo Pampelonensium territi, se ac sua CAROLO permiserunt. Ibi restituitur *Ibnalarabas*, finitimi vero Reges *Abutaurus* & *Devissezus*, qui cum domo exegisse in simulabantur, grandem pecuniæ summam pendere iussi sunt. Interim *Aigolandus* Rex vltioris Hispaniæ, quantas potest è Saracenis copias contrahit succinctus quoq; aliarum gentium viribus, *Baloares*, *Arabes*, *Mauros* ac ceteræ

XXXVI.

Afric.

Africae Barbarique incolae in CAROLUM ducit. Iam ad Galliae confinia processerat, cum CAROLUS armata manu in eum invehitur, & superatum praelio retrocedere in Navarram coegit: tum quatuor millia Saracenorum caesa sunt; non incruenta tamen Francis victoria fuit. Deinde factis induciis colloquium inter duos Reges habitum est; priorque Aigolandus, *quo te, inquit, animi estus, quo ferocia abducit, Carole, ut populum nullis iniuriis tibi cognitum, nullo pacis aut belli titulo obnoxium, denique suis viventem legibus, contra naturam, contra gentium praecepta in servitutem rapere coneris?* CAROLUS, se vero aliorum precibus, nevisquam sua cupiditate obsequutum, respondet: *sibi praeterea eosdem, qui DEI, hostes fore, illius maxime gloriam spectari: non enim ulterius Sanctissimo Numini placere, ut perfidorum turba vi & atrocibus Hispaniam premat, ceterum Saracenos antea hostiliter Galliarum provincijs insulcasse, si alia descenderent, saltem injurias fuisse repellendas.* Post hos vltro citroque jactatos sermones XXXVII. convenit, ut sequenti die fortissimi ex utroque exercitu pates numero, pro Christi & Mahumetis gloria congregarentur, & cito se inclinasset victoria, eorum religio sincera judicaretur. aliquot vicibus Christiani victores evaserant, quibus visis Aigolandus ad CAROLUM redijt, jam Christianorum sacra se percepturum dictitans. Cibum tunc forte CAROLUS capiebat, & tredecim pauperes, quos de more semper in atrijs aluerat, male vestiti, debile corpus humi reclinabant. Aigolandus qui essent inquisivit, & accepto responso esse populum & amicos DEI, qui sub numero Christi & Apostolorum pascerentur, resiliit a proposito, verum Numinis cultum apud Christianos exulare criminatus, cum meliori conditione Regis amici fruerentur, quam DEI. Altero die centum millia Saracenorum in aciem eduxit, & CAROLO copias suas contra illum promovente atroci praelio certatum est. Barbari a Francis undique circumfusi, ad internecionem ferme caesi sunt. Ipse Aigolandus & complures Hispaniae reguli mortem obiit. Tum audito Saracenorum discrimine Gigas quidam XXXVIII. Ferracutus in Hispaniam applicuisse fertur, homo immani corporis viriumque mole, truci praeterea vultu & opinione fortitudinis cunctis metuendus. Hic viginti Turcarum millia in Francorum Regem armaverat: sed praecipuam in seipso spem habens, neque

adfuturos crediderat, qui singulari certamine congredi auderent, & si lacesseretur, jam arma, jam perniciem Christianorum tumide ostentaverat. CAROLUS ad explorandam hostis ferociam selectissimæ virtutis Duces ablegat. at ille, singulos, quo ordine venerant, prorsus quasi non cum fortissimis viris, sed pueris res esset, brachiis exceptos in humerum sustulit, ovansque successu custodiae mancipavit. cum nullus ad castra rediret, Rolandus supplex Avunculum rogavit, ut sibi facultatem concederet visendi Gigantis, servandiq; socios. Egre impetrata licentia est, quod

XXXIX. Rex vel maxime salutis eius metueret. Verum alacer juvenis prospere iter aggreditur, & postquam in conspectum hostis venit, ambo infestis telis concurrunt: Prior deinde Rolandus equum hostilem confodit, quod ne impune esset, Ferracutus equum illius vicissim ferit in capite & lethaliter sauciat. Hinc pedites certamen continuant, gladiisque in vanos ictus aliquoties delapsis, lapidibus demum se invicem excipiunt. Quum neuter villo armorum genere moveretur, steterunt aliquandiu mutua admiratione defixi, mox habito de religione colloquio pugna recruduit. Dicebat Ferracutus, Eum haud dubie vero Numinis cultu & auxilio gaudere, à cuius parte victoria steterit. Memor ergo Rolandus causæ quam defenderet, omni vi in Gigantem convertitur. Conserve avidas manus, & coeuntium membrorum nexibus alligatis, ad terram ambo devolvuntur: & quoniam sub premente Ferracuto juvenis ceciderat, adsiduo gemitu DEUM implorans, paulatim ab eius complexibus sese expedit: postmodum ferro per umbilicum adacto recludit adhuc mori dubitantis vitalia, lectisque hostilibus spoliis sincere victorem prodiderunt. Equidem plura transcribo quam credo: nam nec adfirmare sustineo, quæ Turpinus tot fabulis interpolare videtur; nec subducere, de quibus tam magnifice & effuse verba facit. Cæterum sæpius ita cogitavi apud animum meum, tanta heroum gesta etiam, si ultra veritatem ab antiquis celebrata sint, nunc quoque reticeri non debere. Quis nescit omnia Rolandi facinora fabulosis Poetarum carminibus efferi, strenuum tamen Juvenem, nec tam cognatione quam genij sui magnitudine CAROLO acceptissimum fuisse cordatissimi Scriptorum testantur: par cæterorum conditio est.

Non itaque inconsulto me facturum spero, si reliqua è Turpini relatione, quæ utique magis probanda videntur, adiciam, in tanto præsertim aliorum silentio, qui præter Vasconicam cladem, & paucissima gesta, nihil huius expeditionis meminere. Rolandus gaudio tutgens, socios, quos Ferracutus carceri abdidit, liberat in his Ogerius, Rainaldus, & Oellus fuere: rediensque lætis suorum animis excipitur. Sed prostrato ut prædiximus Aigolando, Ebraim Sevilix, simul Altumajor Cordubæ Reges, fulti præcipuarum Hispaniæ urbium auxiliis, (quas inter Granada ac Vbeda erant) decem Saracenorum millia CAROLO opposuere. Subito etiam Franci ordinavere aciem, utrumque agmen in tres ordines divisum fuit. jam pugnx initium fecerant, cum Saraceni incondito actruçi clamore sublato, larvis insuper ac cornibus terribiles, quæ in modum spectrorum speciem oris efferaverant, consternatos Christianorum equos in fugam egere. Sed CAROLVS consilio hostium cognito oculos equitum linteis velis obtegi, aures lana obturari iussit, ne ubi in prælium redeundum esset, visa & clamore insolito, rursus turbarentur. Inde gravi certamine dies protractus est, non Saracenis minus pro dominatione, quam pro gloria Francis certantibus. Vexillum hostium plaustro sublime conspiciebatur, eo stante nullus Saracenorum fugere tentabat. CAROLVS dum obvios quosque fundit, per mediam Barbarorum stragem ad vexillum delatus, perticam quâ sustentabatur, abscidit: ilico hostes effusi fugam adornantes octo millia suorum amiserunt. Rex Sevilix Ebraim interemptus fuit, Altumajor superstes cladi, postera luce in potestatem CAROLI concessit. Exturbatis hoc modo Saracenis fortissimi ducum quos ad illam expeditionem contendisse supra memoravimus, sedes in Hispania fecerunt. Id ipsum *Laonicus Chalcocondylas*, qui res Turcarum in Europa gestas Græcis literis composuit, testatur: dum Orlandum, (*forte Rolandum*) Rhinaldum, Oliverium & alios Duces Palatinos editis plurimæ virtutis speciminibus summotisque Hispania Barbaris, Iberiam, Navarram, & Tarraconem occupasse, ac singulos partem sibi assignatam habitare prodidit. Venissetum Carolum Compostellam, & celebrato præsulum conventu templo B. Iacobi, qui illis in locis sepultus fertur, primariam autoritatem

XL.

XLI.

XLII.

inter omnia Hispaniæ templa tribuisse *Turpinus* vulgavit, nos Auctori relinquimus. Victor omnium gentium locorumque quos adierat *CAROLVS* in Galliam redire properaverat, cum subita mali vis atroci & funesto nuncio animum eius concussit. Quippe *Marsirius* atque *Beligandus* *Satacenici* Reges, à *CAROLO* per *Gannalonem* Ducem admoniti erant, ut quandoquidem res *Saracenorum* everti viderent, ad *Christum* converterentur, & recepto more tributum solverent. Illi in summa feritate versutissimi bene pollicentur, equos auro & argento graves, vina porro exquisitissimi saporis *CAROLO* transmittunt. Secreto deinde *Gannalonem* ad eunt, propositaque tam ingenti pecuniæ vi sollicitant, ut exercitum *Christianorum* prodere sibi velit. Is tam precioso fulgure concussus animum in diversa abstractum non bene continuit. Tandem labens ac victus accepto munere operam *Marsirio* locat. Inde qui legatus venerat, proditor regressus, *CAROLVM* mendaciis adoritur, *Marsirium* promptissime tributum pendisse ait (simul jumenta pecunia & vino onerata tradit,) velle insuper *Christianæ* religionis capitibus imbui, & quamprimum Rex in Galliam contenderet, se illi præsto futurum. *CAROLVS* quod *Gannalonem* egregie functum officio putaret, exercitum per *Pyrenæos* montes educit, impulsuq; proditoris *Rolando* & *Oliverio* præcipit, ut extremos ordines cum viginti millibus in *Runcia* valle (hanc à lateribus *Pyrenæa* juga ambiūt) servarent. Rescivit *Marsirius* quid in castris ageretur, ac sine mora cū immanibus copiis transitus cūctos sepsit. Sic haudmodica pars exercitus omnium fortissimi, disciplina, manu, experientia bellorum principis, proditione ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventa est: montibusq; & insidijs clausi infelices, cum ne pugnandi quidē egregie occasio in quantum voluerant, data esset, consumpti magis quam victi sunt. *Rolandus* cum promptissimis militum in mediam aciem invehit, nec incertus ultimam diem instare, antequam vita discederet, *Marsirium* sibi immolavit, dein siti & vulneribus confectus, animam inter ardentissimas preces efflavit. Præterea *Anshelmus*, palatii Comes, *Eginbardus* regiamensæ præfectus multiq; clarissimi duces cecidere. *Eginbardus* à *Valconibus*; alij *Ibnalaraba* auctore tantam cladem factam esse scribunt, in ea incertitudine libentius *Paulum* & *Emilium* sequor,

XLIII.

qui

qui ex antiquis annalibus Hispanos fuisse ostendit, non repugnaverim tamen, si quis Vasconum fraudem intervenisse dicat. CAROLVS cæde suorum comperta, incertissima mente perculsus hæsit, regressusq; ad insidiarum locum cadavera tota valle disiecta reperit: sed ubi ad corpus Rolandi venit, summo dolore victus, & indignam illa indole mortem deplorans, tale monumentum bene merito erexit.

Tu patriam repeti, sed in hoc nos orbe relinquit,

Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.

Sed qui lustra gerit octo binos super annos,

Ereptus terræ justus ad astra redit,

Multi dein volentes cadavera, amicis alij, pars cognatum reperiebant, ita per omnem exercitum luctus atq; mœror agitabatur. Ne tamen animi tristitia conficeretur, aut occasionem rei gerendæ otium corrumpere, Rex ira & indignatione plenus hostem aggredi jubet. Equidem complures non vindicatam fuisse istam cladem existimant, quoniam hostes levitate armorum adjuti statim effugerint, abditique præruptis montium convallibus, non quidem quaeri potuerint, ut vincerentur. Ego haud difficilis in hanc sententiam concederem, nisi *manuscriptus codex*, quem in tabulario suo *Resp. Argentoratensis* servat, ac mihi videre contigit, me deterreret: eius Author *Conradus* quidam non longe ab ætate CAROLI, si membranam ac cætera antiquitatis indicia spectes, remotus, carmine Germanico expeditionem Hispanicam descripsit, sane quod formam operis attinet, successu præter seculi genium felici; & eo magis industrium fuisse credo, quo sublimius Rex noster postea Augustus Romanus Imperator se extulit, tantam enim imperij majestatem Germanici etiam sermonis flore & ornatu augeri publici splendoris intererat. Is igitur memoriæ reliquit, post Vasconicam stragem acriter cum Saracenis certatum fuisse, ac CAROLVM sua manu *Beligandum* obruncasse. Quippe Franci, Bavari, Dani cum contemptu hostis nunquam justo prælio superioris in ferrum ruebant: Contra barbaræ gentes mori quam vinci præoptabant. Multo minori agmine Christiani pugnaverunt; ne tamen illud perrumpi aut disijci posset, confertissime dimicando, hostes lanceis transigunt, & immani cæde grassantur. CAROLVS:

XLV.

ante suorum acie consistens nuncgregarij militis officio fungebatur, nunc Imperatorique virtutis memor erat, nec Saraceni segni^o cōtra ibāt, aut cadebāt inulti, donec prostrato Beligando & multismillib. trucidatis effuse fugerunt. Sub hęc proditiō *Gannalonis*, seu quia in rebus humanis nihil silentiosatis premitur, seu potius iusta Numinis vindicta sensim erupit. Illum cōperto scelere vox & sāguis defece- rant quem intuens Rex, *sceleste proditor ait, si ipse fidem servare domi- no voluisses, nunquam avaritia ad innocentes animas hostium ferocia ven- dendas Te instigasset: nunc quoniam insanabile Tuum ingenium est, docebis hodie humanum genus, sanctam credere, qua a te violata est, fidem. Ut igitur paulo ante animum inter Francorum Saracenicamque rem ancipitem gessisti, ita jam corpus passim distrahendum dabis.* Exinde discentum qua- tuor equis in diversum iter concitatis discerpi iussit. Adserit idem *Scriptor*, Gannalonem odio Rolandi, quem sæpe audiverat à CAROLO Regem debellatæ Hispaniæ datum iri, tantam calamitatem exci- visse, ac potius seipsum atate & meritis potiorē eō fastigio di- gnū judicasse. Sed CAROLVS in Galliam reversus Rolan- dum Blavij honorificentissime tumulat, gladium Dutendam, cuius mira præstantia Poëtis fabulandi materiē præbuit, tu- bamque æneam, quæ duo in omni virtutis ostentandæ occasione circumtulera- t, defuncto apposita scribit *Turpinus*. Eius statua hodieque in inferiori Saxonia Bremæ conspicitur, *documentum il- lustre hominis, cuius virtutem posterī probent, dāvincntque fortunam.* Cæ- teri ducum Comitumque ad Burdegalam & Arelate, non sine me- ritissimo fortitudinis elogio sepulti sunt. Sic tum Hispaniensis expeditio finita est. Interim in Germania novi motus exsurgunt. Quippe *Saxones* malis suis antimosiores redditi, per absentiam, Francorum ab oppido Duitia Colonix objacente vsque ad oram, qua Rhenus Mosellam recipit, ferro & igne omnia vastaverant: non atatis non sexus discrimine habito, sacris etiam atq; profanis neutiqdam pepercerant. Rex audito tumultu confestim Francos & Alemannos præmittit, ut hostem licentia prædandi securum forte, opprimerent. Ergo jam fugientem ultra fluvium Adernam consequuti sat magna strage, multaverunt. pauci incolumes do- mum relapsi sunt. Eo tempore *Hildebrandus* Spoletanorum Dux officij præstandi causa cum ingentibus donis Regi adfuit: quo

XLVI.

cle-

clementer nec sine remuneratione dimisso, CAROLVS actio-
 Durix conventu ipse in Saxonés tendit, trajectoque Rheno ad
 Lippiam cum hoste decernit, inde victor Westphalorum fines in-
 gressus, iterum supplices in deditionem accepit: ibidem Ostphali
 & Angarij solenni juramento fidem obstrinxere, hyems dein-
 ceptus Vormatiæ transacta est. Sed primo vere Saxoniam revisens
 idola gentis & inter eos Crodonem destruxit: contra, vt religio-
 nis Christianæ cultus sensim invalesceret, Paderbornæ, Mindæ,
 Osnabrugæ templa erexit, & Episcopatum fundamenta consti-
 tuit: magna pariter Saxonum multitudo, salutifero baptismatis
 rore tinctæ, Christoque initiata est, licet aliqui simulatione tan-
 torum sacrorum divini Numinis iram magis in se irritaverint.
 Composita pro tempore Saxonia, CAROLVS voti exsolvendi
 gratia, (vt Baronius in Annalibus tradit) Romam profectus est, &
 postquam gratum tot victoriarum memoria animum DEO pro-
 basset, multa cum Pontifice de statu Ecclesiæ collocutus, filios
 suos Ludovicum & Pipinum, hunc Italiæ illum Aquitanix Reges,
 inungi curavit. Tum suo & Aderiani nomine ad Tasilonem Bavarix
 regulum, quem jam sub Pipino dubia in Francos mente fuisse præ-
 diximus, legatos mittit, qui adhortarentur hominem debite obe-
 dientix, & ab ulteriori tergiversatione deterterent. Ille suis re-
 bus conducere non ratus hac vice voluntatem Regis negligere,
 Vormatiam, qua Roma se transtulerat CAROLVS, venit, ac
 deposito juramento duodecim obsides in fidei pignus tradidit. Si-
 mulata tamen obedientia fuit, velut postea referemus. Sedatis
 vbiq; motibus Rex cum omni exercitu apud Agrippinensem Co-
 loniam Rhenum trajecit, & ad Lippiæ caput, (nobile olim Tibe-
 rianis castris flumen) confidens negotia regni expedit. Inter cæ-
 tera Sigefridi Regis Danorum legati, quosque Caganus & Ingurru
 Hunnorum principes pacis causa ad se miserant, auditi sunt. Trans-
 acto conventu in Galliam profectus est. At Vitekindus Saxo vbi
 nullis verborum blanditijs extimulare Nortmannos contra CA-
 ROLVM posset, audito eius discessu Saxoniam repetiit, ac vana
 spe inflatos popularium animos, rursus vt rebellarent, permovit.
 Interea Sorabi Sclavorum natio, terras inter Salam & Albim habi-
 tans, bello atque armis inclayta, fines Thuringorum, ac Saxonix
 queit.

XLVII

XLVIII

XLIX.

queis contermini erant, populantur, vrunt agros, vicos exci-
dunt. quod cum Regi nuntiatum esset, ex templo Geilonem, ma-
gistrum equitum, Adalgisum Camerarium, & Volradum palatij
comitem obviam Sorabis mittit, datque mandata vt quamprimū
Saxones attigerint, illos quoque in societatem militiæ adlectos
communi hosti opponerent. Non multum viæ processerāt, cum
Saxones quorum præsidium petebatur, duce Vitekindo à fide-
filiis inaudiverunt. Sumpto igitur, quod rei necessitas ac tem-
pus efflagitaverat, consilio, Sorabos omittunt, omnem vim in to-
ties perfidos conversuri. Hostilem terram intransibus, Theodo-
ricus cognatione CAROLO iunctus, copias quas per ipsam sa-
xoniam dispositas habebat, adducit, ac de belli summa consilium
suum aperit. Cognito nimirum vbi Saxones degerent, quidve ani-
mi aut virium haberent, vnita virtute eos esse excipiendos. Mons
est in illa regione, quem *Sunthal* incolæ nominant: eius radices
ab vno latere amnis præterfluebat, apud alterum castra hostes fi-
xerant: quo comperto, placuit ducibus Theodoricū in citeriore
ripa, Geilonem trans illo fluvio propius montem considere, tum
si hostis admoveret copias, neuter sine altero pugnam capesseret,
sic enim vbicumque lacesseret, facile circumfusum obteri posse.
Nulla res magis quam regimen pluribus commissum ac ambitio
exercitum perdit. Geilo quod metueret, ne prostrato hoste omnis
victoriæ laus ad Theodoricum regis necessarium devolveretur,
statuit inscio illo hostes aggredi. Ergo coorta luce suos ad præ-
lium cohortatus, à saxonibus numero consilioque superioribus
obruitur, copię ad internecionem cæduntur, ipse & Adalgisus,
præterea quatuor Comites, & alij præcipue nobilitatis viri vi-
ginti admodum cædunt, pauci fuga in castra Theodorici deferun-
tur. Rex pro magnitudine cædis non mediocriter commotus sine
mora in Saxoniam descendit, ac defectionis authores sociosque tra-
di sibi postulavit. Vitekindus jam ad Nortmannos redierat, sem-
per erectior exilio, & cæteris quatuor mille & quingenti securi
perculsi, scelerum pœnas exsolvere. At sequenti anno postquam
omnimodam saxonum rebellionem fama vulgaverat, CARO-
LVS primo vere ingens agmen in eos promovit, nec multo post
ad vicum, *Zystermellen*/quem olim ipsi, (ô mixturam fatorum mi-
rabi-

L.

rabi-

rabilem) deleto Varo ac tribus legionibus Romanis insignem fecerant, tam immani clade contudit, ut paucissimi ex innumera multitudine evaserint. Neque haecenus stetit damnum. Paucis interjectis diebus, quum maiori multitudine succincti, praelium committerent, in Vestphaliae finibus, ultra fluvium Alam, (a quo Osenbruga nomen accepit) non minori clade repressit. Ad fatietatem Francorum trucidati sunt, multi captivitatem letho antetulerunt, magnaque praeda victoribus cessit. His duobus praeliis ita attritos fuisse Saxones *Eginhardus* scriba CAROLI profitetur, ut ulterius neq. Regem provocare, neq. venientem resistere, nisi aliqua loci munitione defensi auderent. Post tantam victoriam, quaecumq. Visurgim & Albim interjacent, Franci populationibus petvaleserant, *Carolus junior Regis filius* ad Saxonum motus observandos in Vestphalia relictus, aliquot turmas hostium ceciderat: Sed Rex ipse Eresburgi, quo uxorem & liberos acciverat, omnibus momentis, intentus in Orientalem Saxoniam penetrat, aperit limites, vastat agros,urit domos, fundit obvios, maximoque cum terrore hostium ad hybernaregreditur. Insequenti tempore, quod domitam illorum pertinaciam crederet, iterum in junxit ipsis, ut conventui Paderbornae celebrando praesto essent. Sed homines tot facinorum sibi conscij dubitaverunt accedere, donec obsides a Rege acciperent, quibus saluti suae caveretur. Ergo publica fide venire iussi, rebellionis poenam deprecantur, amplexiq. Christianam religionem sacro baptismatis fonte, & inter eos *Vitekindus* lustrantur. Cuius memoratu dignam conversionem, non possum quin ex *Fabricio Saxoniarum rerum scriptore*, adiuciam. Dum CAROLVS Paderbornae sive Attuniaz, (variat enim historia,) statum Sacrae Ecclesiae disponit, ac pauperum curam agit, accidit, ut Vitekindus Francorum consilia exploraturus, pannosa veste sumpta, ne cultu proderetur, castris hostium se immisceret: festum forte Domino resurgenti sacrum celebrabatur, militesque sacerdotum ministerio communionem corporis & sanguinis Christi percipiebant: ibi Virekindus antistitis manu omnibus venustissimum infantem porrigi vidit, qui ad quorundam ora hilari & erecto, ad quorundam vero tristi vultu diverteret: agnitus igitur inter pauperes, & perductus ad CAROLVM, quid viderit refert: edo-

L I.

LII.

Atusq; tam mirandi spectaculi arcana statim salutifera baptismatis
 vnda superstitionum sordibus deterfus est. Fides penes authorem
 sit. In memoriam huius conversionis Vitkindum Mindæ tem-
 plum extruxisse, & id à CAROLO multis redivibus auctum, vr-
 bemq; Episcopatu ornatam fuisse *Baronius* tradit. Pàcata in id
 tempus Saxonia CAROLVS novæ expeditioni animum inten-
 dit. Siquidem Britones ab Anglis & saxonibus Britannia insula
 olim expulsi eum in Gallia sinum occupavere, qui Septentrionem
 occidentemq; versus Oceanò clauditur, ad meridiem Ligeti termi-
 natur, qua vero Orientem spectat, reliquæ Galliæ adhæret: dein
 à Regibus Gallis domiti perpetuum vectigal in subjectionis pi-
 gnus solvere coacti sunt: id quum hoc tempore detrectarent,
 Carolus Ardulfum regiæ mensæ præfectum illuc ablegat, qui per-
 fidæ gentis contumacia celestime repressa duodecim obsides Regi
 Vormatiam attulit. Tum inquieti *Langobardorum* animi pacem I-
 talia rursus turbabant. Quippe *Aragisus* Beneventanorum dux a-
 liquot Campaniæ oppida Romanæ ditionis invaserat, nec si for-
 tuna faveret, cessaturus ab ista libidine videbatur. Quamobrem
 CAROLUS collecto exercitu Romam contendit, ac sociatis
 cum Pontifice Hadriano consiliis Beneventum accessurus erat,
 sed *Aragisus* metu repentini adventus trepidans, Rumoldum ma-
 jorem natu filium non sine amplissimis muneribus Romam ire ju-
 bet, ac rogare CAROLUM, *ut parceret Beneventano ducati. se enim*
conditiones, quas proponeret, lubentissime accepturum: Regi minime
 visum fuit, moram belli *Aragiso* indulgere: verum retento Ru-
 moldo infestus Capuam progreditur, Beneventanis obsidionem
 minitans. *Langobardus* quod urbem defendi posse desperaverat,
 Salernum maritimam civitatem ac munitionibus validiorem pro-
 fugiens, secunda legatione animum regis tentat, eumq; humilimis
 precibus obtestatur, *ut alteram etiam filium, cui Grimoaldo nomen erat,*
obsidem agnosceret, se promptissime imperata facturum modo conspectum
maximi Regis vitare posset, miserum enim hominem cunctis ludibrio fore.
 CAROLUS magis vtilitatem rei, quam pertinaciam *Aragisi*
 spectans annuit eius precibus servatoque minore filio Rumoldum
 patri remittit: mox Beneventani in verba Regis juravere, dede-
 runt obsides, & grandem pecuniam, viginti sc. quinque millia
 aureo-

aureorum numum tribuere loco pependerit. Hanc oppressi Aragisi gloriam non CAROLO sed filio eius Pipino *Paulus AEmilius* vendicat: nam ex quo Rex Italiae coronatus esset, Mediolani consedisse, & intellecto Campaniae discrimine hos motus ita sedasse scribit: nos magis consensui Authorum credimus, quippe & *Eginhardus & Annales Francorum* utique vetustissimi praesentem CAROLUM fuisse memorant. Mortuo deinde Aragiso Grimoaldus à Rege dux substituitur, cuius fides evidenti documento non multo post adprobata est. Quippe Cæsar *Constantinus*, qui Constanti-nopoli agebat, circa illud tempus Nato suo CAROLI nostri filiam in matrimonium petierat, sed negata affinitate iniquior Francis, instinctu Adelgisi per Theodorum Siciliae praefectum Beneventanos fines invaserat. ea contagio ne latius serperet, Grimoaldus junctis cum Hildebrando Spoletanorum duce viribus exercitum Graecorum in Calabria obvium sic afflixit, ut turpiter retrocedere cogeretur. Dum CAROLUS finito Langobardico tumultu Romae moratur, paulatim belli *Boiarii* initia processere. Desiderius nuper Italiae Rex, quamvis corpore Leodij inclusus, tamen ubique adhuc nomine erat. Modo Adelgisis, modo Rotgaudus, jam etiam Aragisus fortunam Langobardorum, velut sub ipso florebat, restituere laborabant: postremum Lutberga filia Desiderij Tassilonis vxor, perpetuis stimulis ad rumpenda foedera maritum incitabat; is quidem legatione Romam missa à Pontifice per literas contendit, ut *scilicet*, qua valeret autoritate, CAROLUM ad pacem firmandam perinvoveret: ille nullatenus abnuvit, sed unicum id sibi haecenus votum fuisse testatus, disserere legatos iussit, quæ conditionibus pacem factam cuperent: quum isti, *sibi vero nihil amplius in mandatis esse dicerent, nisi ut hanc sententiam referant domino*; Hadrianus ira commotus, quandoquidem, inquit, Dux vester inutili cunctatione fallere potentissimum Regem consilium, tanquam perduellus erit persequendus: ego quod mei est officij, piorum cætu tandem secludo, donec de fide eius certo in CAROLUM constet. Sic Legati dimissi sunt. At CAROLVS *Vormatiam* profectus, cunctos regni proceres cogit, & conquestus Tassilonis perfidiam fraudulentamque legationem, qua Romæ sibi ac Pontifici illuisset, quid factu opus censerent, interrogat; postquam communi sententia bellum

LIV.

decretum esset, Rex Boariam undique cinxit: Ipse enim cum armata manu Augustam Virdelicorum processit, Pipinus per Vallem Tridentinam suos eduxit, Franci Orientales superato Danubio Bavariz appropinquarunt. Verum Tassilo in tantis rerum angustiis supplicem CAROLVM accessit, & deprecatus contumaciae poenam, à Rege sua natura clementissimo veniam impetrat: datisque XII obsidibus & filio Theodone ad Bavaros remittitur. Posteriori anno conventus *Ingelhemi* celebratus est, in quo præter ordinarios regni proceres Tassilo quoque comparuit; sed ubi ad tractanda negotia omnes confederunt, subditi Boariae intromissi publice Tassilonem criminis Majestatis inculant, & obtemperantem uxoris Lutbergæ crebris instigationibus ferocissimam Hunnorum gentem contra Francos excitasse convincunt, dixisse præterea, *se vnicum filium Theodonem obsidem dedisse, sed centum datis nullo pignore destitutum à persequendis bello, cum posset, Franci. non dubitare multum, quin capitis supplicio tota. in ora luere deberet, & Rex justa quidem ira in hominem exardescens, abstrahi ad mortem præcepit: postea tamen misericordia & cognatione permotus, (quippe è vetustissima Bavarorum principum familia originem traxisse CAROLVM *Aveninus* memoriz prodidit,) levatum ultimarum infamiae metu, vitæ solitariae ut & Filium Theodonem mancipavit: ducatum vero Boariae Pipino, vel (quod aliis placet,) cuidam ex Hildegardis reginae cognatis regendum tradit. Interea *Hunni* indigne ferentes, Bavaros non expectatis auxilijs suis fidem quam vim Francorum experiri maluisse, illata de finibus controversa, pars in Foro-Juliensem oram, prope Adriaticum sinum Histriae annexam, pars in ipsam Boariam excursionses faciunt; Bavaris vero ductu Francorum occurrentibus, semel in Boaria, iterum ad Danubium ita excipiuntur, ut multis suorum prælio amissis, pluribus, qui flumentanare tentaverant, vasto gurgite absorptis, domum refugerint. CAROLVS antequam de tota belli mole in Pannoniam transferenda consilium iniret, *Velazabos*, sive Vilzos primum domandos censuit. Hi in penitissima Germaniae parte inter Viadrum Vistulamque fluvios sinum Codanum accolebant, efferi ac rapto vivere adsueta, tum Abottitos scedere Francis paratos bello vexabant: eam insolentiam Rex coerciturus, mili-*

tem per Thuringorum Saxonumq. confinia versus Septentrionem duxit, inde Albi ponte strato, castrisque in vltiore ripa positis Vltorum agros ferro & igne corruptit; Illi cum tantam vim sustinere non possent; cum omnibus copiis retrocesserunt: sed dedita Francis vrbe Dragavinta, regulus quidam nobilitate gentis & auctoritate præcipuus victori se permisit, oblatisque obsequiis iurejurando fidem adstrinxit: huius exemplum cæteri secuti, in potestatem CAROLI concessere, & subeuntes servitutis jugum imperata strenue fecerunt. Circa hæc tempora, sedem *Bremensem*, (quæ postea Archiepiscopatu inclaruit) suasu Pontificis, liberalitate CAROLI erectam fuisse, *Baronius* auctor est, decemque parochias, quas vocant, eidem attributas; constitutum præterea, vt præter alios redditus, subditi decimas persolverent, bona verò sacris vsibus destinata inviolata manerent, neque vlla ratione aut titulo profanis hominibus acquirerentur. Intra breve deinde spatium *bells Pannonici* exarsit incendium, id quo facilius exequamur, de situ illius regionis & populis pauca dicenda sunt. Pannonia, sicut iam Augusti ævo describitur, inter Istrû & Dalmatiam, à Norico vltique ad Mysiam Europæam porrecta fuit: limitibus ab occasu Cethio monte, qua Septentrionem & ortum spectat, Danubio; versus meridiem linea per Timavi Drinique confluentes ad Unæ fluminis fontes ducta terminatur. Incolæ, *Pannonij* ab antiquissimis temporibus ita vocati sunt, quoniam vestes manicatas è *pannis* more suo concisis atque consutis gestaverint: *Pæones* etiam à quibusdam adpellantur, sed qui hoc nomine gaudent, vltra Ætum ad Rhodopen montem & maritimæ Macedoniæ oras habitavere. Genus hominum incultum, fortitudine ac experientia bellorum celebre, sat diu Romani Imperij cursum morabatur. Cæterum terra olim non adeo frugum abundantia felix, hordeum tamen miliumque produxit, quæ incolæ & in cibum vsi sunt, & potum ex iis confecere; vini vero aut olei rarus apud eos proventus docuit vitæ durissimam sortem tolerare, hyemisq. acerrimum gelu ac æstatem juxta pati. *Dio Cassius*, qui se præfectum Pannoniæ fuisse memorat, ad iurgia & cædes promptissimos agnoscit. Post Romani Imperij inclinationem, cui Tiberius Augusti privignus Pannoniam subjecerat, Gothi è Scandinavia insula progressi eam

LVII.

LVIII.

tenuere; quos Hunni duce inprimis Attila expulerunt, & quamvis hos Langobardi aliquandiu pressissent, nihilominus cum successu temporis Avars istis commiscerentur, Pannoniam ad CAROLI vsque tempora sibi vindicaverunt: inde *Hungaria* nomen non Pannoniam modo sed etiam amplissimas ultra Danubium terras involvit. Verum CAROLUS noster devicta, prout mox referemus gente, haud modicam Pannoniæ partem, quæ à Bojaria secundo Danubio ad ostium Teix fluminis continuatur, *Austria* vocabulo insignivit, quod ab Oriente Bavariam contingeret, ac victorijs late Pannoniam emensus est. Nam præparatis quæcunque tanto bello necessaria videbantur Theodoricum Comitem cum parte exercitus præcedere jubet, ac per ulteriorem Danubij ripam Pannonios petere: ipse Rex citeriorem legit, ac validissimas copias celerrimè ad Anisum fluvium Bojarie Pannoniæque veluti limitem promovet, commeatus quanti sufficerent propitio flumine subvecti: ne autem inconsulto inexorato cælesti Numine quid ageretur, triduo supplicia ac vota Christianum exercitum tenuere: dein implorato DEI Ter Opt. Max. auxilio, & sacra communionem percepta, bellum omnibus locis fremuit. Caumbergum firmissima arx expugnata, destructa Castellorum munimenta, pulsa Hunnorum præsidia, excidio domus, incendio vici ac sylvæ, desolatione agri fœdati sunt. Quam hostes in latebras ac remotiora Pannoniæ fugerent, CAROLVS hac vice satis actum existimans, cum militibus Ratisbonam Bojarie petiit: pariter Theodoricus Comes Frisios ac Saxones, cum quibus superiorem Pannoniam depopulatus erat, domum reduxit. Sed Regem humana ope in vicium tunc fortuna aliquantum concussit. Quippe perniciosa lues equitatum ita corruperat, ut inter tot millia equorum vix decima pars illæsa manserit, cæteros fœda contagio extinxit. Neque Saxones in officio amplius continebantur. Hi Theodorici exercitum in Frisiam contendentem, circumventum insidijs ad interfectionem ceciderant, mox quasi puderet datæ antea fidei vnanimi defectione res novas moliti erant. Etiam Saraceni immemores superiorum calamitatum, Septimaniam ingressi, non paucos Francorum, præsidio limitum Galliarum relictos trucidaverant. CAROLUS ubi præsentiora essent

sent mala, ibi fortioribus remediis agendum ratus, Saxoniam intrat, CAROLO etiam filio partem copiarum tradit, cum quibus superato propter Coloniam Rheno ex alia parte irrumperet. At Saxones, qui Regem expeditione Hunnorum detentum arbitrabantur, postquam præter opinionem resceciderat, victorem submissis cervicibus excipiunt, & omnem fidem datis denuo obsidibus pollicentur. Contra Rex non ignarus, quam falso talia prætenderentur, sequenti ætate per hostilem agrum infestus vagatur, magnumque pondus iræ addidit desperata Saxonum contumacia: qui Vizinum Abodritorum Regem profecturum ad Francos, quibus fœdere junctus erat, in itinere more latronum jugulaverunt: hinc præter squalorem arborum, quo excisa ferme regio obsita fuit, præcipuè nobilitatis viri cis Rhenum in Colonias deducti omnibusque fortunis ac dignitate spoliati sunt: libertasque genti adempta, quam vita potiore duxerant, feroces spiritus paulatim molliverat. Dum Franci in Saxonia ultra Albim castra habent, Thudun quidam spectatæ inter Hunnos authoritatis relicta sede patria accessit, & professus desiderium Christianæ religionis percipiendæ, tutelam Regis expetijt. Ante biennium quam hæc agerentur, grave vulnus Ecclesia Christiana accepit. Quippe Felix Urgellitanorum in Hispania Antistes, ab Elipando Toleti Episcopo per literas consultus, *verum Christus Servator ac Dominus noster, quatenus humanam naturam excepta peccatorum labe nobiscum communem habet, verus an adoptivus DEI patris filius esset dicendus*: pessimo exemplo contra Sacri Codicis præcepta, & firmissimum antiquitatis consequum respondit, pro adoptivo habendum esse: neque hic error ab animo dubitante profectus est, sed eundem scriptis pertinacissime defendere tentavit. Igitur in conspectum Regis, qui Ratisbonæ tum sedebat, perductus congregato sacrorum ordinum concilio erroris horrendi convictus est, postea transmissus Romam coram Pontifice & sacerdotibus alijs publice opinioni suæ contradixit, constanti posthac mente religionis Christianæ consensum se amplexturum promittens. sed non consistunt ibi mala vnde ceperunt, præsertim in gravissimis fidei controversijs latius serpit contagio, nec cessat malus ille spiritus, sicut à mundi principio consuevit, humanum genus per varias calamitates exercere, igna-

LIX.

viâque & ambitione illorum, qui animatum curam agere deberent, ad dissidia Reip. Christianæ, & sæcundissimos errores de religione excitandos uti. Elipandus Toleti antistes jam plenis veluti venis istud virus conceperat, ac stolidâ pravitate ferox, reversum in Hispaniam Felicem eodem veneno rursus implevit: cum verò multos adversos haberet, qui eruditè pariter ac piè dissertationibus refellere hominem aggredierentur, incitator subinde, ad Regem CAROLVM & quosdam Galliæ Antistites literas dedit, quibus animi sui ferociam satis declararet. Sed illi quidem contrariis argumentis tantam pertinaciam expugnare laboraverant: Rex autem acceptis codicillis sententiam Pontificis Adriani exquisivit, à quo cum damnatum diu execrabilem errorem cognovisset, solenne ac velut Christiani orbis Concilium Francofurti, qua Rhenus recepto Mœno turget, indicit. Conveniunt ibi Germaniæ, Britannæ, Galliarum ac Italici Antistites, nomine Pontificis Theophylactus & Stephanus Episcopi, statimque perlectis Elipandi literis sententiam omnes dicere iussi, vnanimi consensu pestilentissimum impij hominis commentum damnare, & opera Paulini, præcellentis in re Theologica Viri liber confectus est, quo vana figmenta penitus discussa sunt. Scripta insuper Regi & Concilij nomine ad Elipandum cæterosque Hispaniæ sacerdotes admonitione, serio ipsis injunctum fuit, ut omisso delinquentis animi somniis, ad Ecclesiæ gremium redirent, paterentur sibi adhiberi medelam, qua vulnus inter Hispanos ac reliquas gentes qui Christo nomen dederat, rursus coiret scirent Francofurti rite congregatos Ecclesiæ Patres communi consilio istum errorem reprobasse; non hic periclitari privatam cuiusquæ auctoritatē, sed Numinis supremi gloriam, quam & perpetuo suppressam cupiverit humani generis hostis, & hac ambitione in pectoribus mortaliū foras jam jam obscuret: quapropter antequam sacris & piorum omni sodalitiis prohiberentur, sententiam Christiana fidei convenientem agnoscerent, crederent Servatorem suum etiam qua hominem, verum Dei patris filium, ac denique istud pensarent, si quando Saracenicæ vis eos premeret, non amplius Christianarum provinciarum incolæ sanguinem & vitam tanquam pro fratribus profusuros, sed ut putrida & à sano corpore rescissa membra suo exitio relictuos. Damnatis Elipandi erroribus quæstio de veneratione imaginum ventilata est, decretumque à Patri-

LX.

bus,

bus, vt Constantinopoli habitum concilium, quod Græci *Sepi-*
man & Vnuerſalem ſynodum vocabant, omni authoritate caderet,
 eoque loco æſtimaretur, ac ſi nunquam celebratum fuiſſet; ſan-
 ctorum verò imagines, neque perſtingendæ neque adorandæ ad
 memoriam & ornatum in templis ſervarentur. Sic tunc etiam
 ſacrarum tractatio proceſſit. Poſtquam ſoluto conventu Franco-
 furto diſceſſum eſt, CAROLUS *Saxoniam* petiit. At filius Pipi-
 nus Italicum ac Bojariam militem in Pannoniam deduxit, & ma-
 ximam Hunnorum manum, vltra fluvium Tizam (qui Tibiſcus o-
 lim erat) fugavit, inde munitiſſima arx, quam patrio ſermone
Rhingus vocabant, extrema ingruente vi præda Langobardorum
 fuit. Novum munimenti genus in interiore Pannonia Barbari ex-
 cogitaverant: Crebri ſtipites truncique abietum, ſagorum, quer-
 cum in terram deſixi orbem conficiebant, his intervallo vicenum
 pedum contrarijè regione jungebantur, ſpatium vero interiectum
 limo aut ſalicibus eductum integris cespitibus contegebatur. Eiuſ-
 cemodi vallum vtrinque intus & extra majorum ſalicum ramis ob-
 ſeri ſolebat, quibus interjunctæ populi vlmique virentes propagi-
 ne ſarciebant locum ſenſcentium. Præterea cum pullularunt &
 excrevere in altum, occultis nexibus ac veluti laqueis perpetuam
 ſepem ſuſtinent, frondem jucundiſſimam pecori miniſtrant, virgas
 cingendis agris, foco ligna præbent. Tam inexuperabili loco an-
 guſta erat porta. Intra portas, aggeres, vici & villæ, quantum vox
 humana pertingeret, diſtabant, extra ſepimentum prædia & ædi-
 ficia ita diſpoſita erant, vt in vnoquoque ſignum datum in altero
 exaudiretur. Hanni omnium gentium latrones per annos tre-
 centos his arcibus opes orbis abdidierant, ipſi interim intacti tanta-
 rum rerum ſatietate famem paraverant, vt quo plura haberent,
 acius quæ non haberent concupiſcerent. Sed vt Langobardi
 qui in exercitu Pipini merebant, Gallique poſt vehementiſſimam
 obſidionem arce potiti ſunt, quicquid auri argente per tot ſecula
 congeſtum erat, vna die militum avaritiæ ceſſit, privatæ opes ſin-
 gulis pro dignitate diſtributæ, & fere major præda, quam quanta
 belli fama erat fuit reſecta. *Bunſnius* haud indiligens Hungarica-
 rum rerum Scriptor hanc expeditionem non tantum auſpicis, ve-
 rum etiam ductu CAROLI conſectam eſſe, & regiam Hunno-

LXI.

LXII.

rum, quam *Sicambriam* prius, deinceps *Budam veterem* appellabant incolæ, Chabam possedisse memorat. Hic Francorum irruptione audita per legatos bellum primo gessit, & confusus vrbis munitioni, facile intactum semet actutum fore speravit. At cum Hunni aliquot præliis inferiores, deditionem denique fecissent, anxius ipse ac trepidans, obsidionis fortunam subire coactus est. Et vrbe quidem operibus validissime firmata commeatu & defensoribus egebat, neque placebat conditionibus eam victori permittere. quod haud dubie spes ac fortuna Hunnorum simul conciderent. Igitur in illis angustiis expectato prælio, ad vsque Solis occasum pro salute vrbis certatum est, donec inclinatis Hunnorum viribus, scalas sensim admovere Franci, urbemque terrore pariter ac sanguine completam invaserunt. Sed vbi furor paulatim defævit, & clamor supplicibus verbis planctuque permixtus misericordiam victorum elicit, oppidanis vita servatur, munitis locis præsidia Francorum adhibentur, ad portas & fora & multa compita stationes disponuntur. Chaba Rex desperata arcis tutela, ne veniret in potestatem hostium vivus à gladio suo impetravit, tum *Rhingus* solo æquata, & velut prædiximus, opes direptæ sunt. Postera luce admoniti Hunni, ut aspernati Martem & Hercule. quos cæca gens Numina sibi sinxerat, Christum Deum & vnicum humani generis servatorem colerent, nihil quicquam de obstinatione animi remiserunt, exceptis paucis, quos inter Thudun fuerat: hic fidem CAROLO nuper promissam, Pipino præstitit, & facti fontis beneficio Christiani orbis civibus adscriptus fuit. non diu tamen duravit Barbaro constantia, sed fallaci ingenio fœderis sanctitatem violans, interjecto tempore sceleris pœnas pependit. Subacta Pannonia Pipinus ad patrem revolat, tropæa & ingentem divitiarum apparatus secum ferens. CAROLVS quò mentis gratitudinem Deo testaretur, & auspicia Christianæ religionis apud Hunnos conderet, simul in victoriæ memoriam templum *Budæ erectum* B. Virgini Mariæ consecravit, idque lapis excisus adhuc indicat. Deinde per Engelbertum Abbatem magnam *marubiam* partem Romam transmisit. Namque mortuo tum *Arciano* Pontifice, cuius obitum tanquam amicissimi hominis acerbe tulit Rex, Leo tertius Successor claves S. Petri, (quas vocant)

& vexillum Romanæ urbis, in subjectionis & observantiæ pignus CAROLO per legatum offerri curavit, obsecrans Regem, ut ex optimatum numero Romam destinaret, qui populum sacramento in verba eius obstringeret. Id igitur muneris Engelberto impositum, qui statim cum donis eò contendit. Cæterum tot rerum prospere gestarum fama cunctos late populos in venerationem CAROLI adduxit. Hinc *Zatu* Saracenus Regem eo tempore Aquisgrani degentem cõvenit, & Barcinonem in Hispanico limite sitam, cui ipse hætenus præerat, eius potestati subiecit. Inde Abdellas Ibimangæ Mauritanorum Reguli filius cum ingentibus donis adfuit. Etiam Aza Oscensium Satrapes claves urbis Osæ per legatum misit, pollicitans, se quamprimum occasio affulgeret, urbem ipsam Francis traditurum. Inter omnes Adelfonsus Gallæciæ Asturizque Rex eminuit. Hic enim à Saracenis hætenus pressus, nec modica regni sui parte spoliatus, opem CAROLI sollicitavit, ne coeretur terras toties à barbarorum insultu vindicatas, illorum ferociæ cedere. Et Rex & causa auxilio digna videbatur. Prompte igitur magna Francorû manus submissa est, qua Adelfonsus erectus Saracenos fudit, fugavitq; Ulyssiponem caput Lusitanæ, Hispaniæ decus recepit, & victor hostium vires valde attrivit. Ludovicus autem CAROLI filius Aquitaniam petijt, Barcinonem à Zate, Oscam ab Aza recepit, simul Abdellam regia magnificentia cultum per Hispaniæ continentem patri remisit. Videres tamen quid inter calamitosam Christianorum innocentiam, & simulata barbarorum sædera interfit. Adelfonsus ope Francorum Saracenicò bello defunctus, è victoriarum manubiis dona per Oratores CAROLO obtulit, actisque pro celeritate subsidiorum immortalibus gratijs, perpetuam deinceps amicitiam cum ipso coluit. Sed postquam Ludovicus Hispaniam reliquerat, repente Saracenorum reguli fidem mutant, & absentia Regis in suæ dominationis incrementa vsi, præcipuas vrbes, quas Iberus & Pyrenæi montes cingunt, ad defectionem compellunt. *MANYI* quoque Ibimanga auctore Baleares insulas deprædantur, nihil hostilis insolentiæ prætermittentes. CAROLUS intellectu facinore populationis injuriam in tempus ultionis distulit, supervacuum pugnam existimans,

LXIV.

LXV.

cum vlcisci hostem sine magno suorum periculo posset. Dein post aliquot annos redintegrata expeditione Olca Francorum imperio rursus subijcitur Barcinona biennio, (vt *Adelmus Benedictinus* scribit) obsessa expugnatur, Pampelonenses & Navarrai in fidem recipiuntur. Maurisque prædonibus ad Majoricam contulis, signa victoriæ in conspectum Regis deferuntur. Dum vero Hispanici motus surgunt, grave interea negotium Saxones trans Albim habitantes CAROLO facessere. Quippe Viros juris scientes ad componendas per omnem Saxoniam controversias & cum illis Oratores in Daniam Rex ablegaverat, sperans hoc modo lites mortaliū animos dirimentes Francica justitia finiri, feritatemque Saxonum novitate incognitæ disciplinæ mitigari, & solita armis discerni, jure terminari posse. sed illi perfidiæ nati, homines jurisdictionibus agendoque pro tribunali ordine occupatos sævitæ suæ immolant, ac prorsus quasi scelete scelus expiaretur, reverentem è Dania Godeschalcm priorum fato addunt, paucissimis in facinoris mercedem velut servatis. Hinc ferociores, Abodritos Francorum fœdere nobiles denuo lacessunt, quoquam brevi lasciviæ gaudio: interiectis enim diebus Thasco Abodritorum dux vindex ignominie quatuor millia eorum cecidit, parvo quidem, (judicium est *Pauli AEmilij*) dicto numero, sed secundum tot clades anniversarias, cum jam tricesimum annum bellaretur, majori quam eorum res accisæ pati possent. CAROLVS ex altera parte, qua Visurgis Saxoniam interfluit, igne & ferro in terram sæviit, juris gentium ac publici violatōres, nec justos amplius hostes omnifaria vi persecutus. Sequenti tempore plerosque obnoxios habuit, & filius Regis patris nominis heres, tranquillo magis imperio, quam bellorum asperitate demum in officio continuit. Interim alibi res Francorum tristi lætoque successu miscabantur. Siquidem *Geroltus* Reginae Hildegardis olim frater, quem Rex Bojariæ custodem datum stativa in Pannonia habere jussērat, ab Hunnis rebellantibus occisus est, quum ipse quidem, Imperatoris strenuū more, incautius tamen ac sine suorum præsidio obequitando aciem, animos pugnantibus subministraret: & *Henricus* Forojuliensum dux, post insignes victorias atrocisque inflctas Hunnis clades propter tarsaticam Liburniæ civitatem oppidano-

rum

rum fraude interceptus interijt. Contra Vido Britannici liminis præfectus, Rolandi fortissimi ducis successor, penetratis omnibus Britannia gentibus, magna vi hominum, urbiumque potitus numero, ad Francos regressus est, arma ducum, qui iugum receperant, inscriptis singulorum nominibus offerens Regi. Incubabat adhuc Saxonie CAROLVS, & habiturus conventum Lippia castra figebat, cum è meridiana plaga, civilibus discordiis Romam ardere, nuncius attulerat. Nam *Leo Pontifex Maximus*, quod Hadriani, in cuius locum suffectus erat, acta permulta rescinderet, solenni pompa fanum B. Laurentij ingressurus, ab Hadriani amicis, qui liberalitate eius creverant, per insidias capitur; vulneribusque confectus, ac totam oris speciem cruore oblitus, ut quidam aurium, oculorumque vsu privatum esse scribant, in carcerem conijcitur: inde Albini cubicularij pietate noctu elapsus, auxilio Vinigisi Spoletanorum ducis, qui percepta iniuria mox advolaverat, Spoletum deductus, jussu CAROLI in Germaniam vectus est. Rex à veniente & supplice omnem crudelitatis ordinem cognoscit, eiq; studium suum & in inimicos vindictam pollicitus, summo honore cultum post aliquot dies Episcopis quibusdam ac proceribus committit, qui tuto Romam perducerent, gravi edicto, ne quiseum violaret, Romanis propolito. CAROLVS sequenti anno, quem à Christi Redemptoris nativitate octingentesimum numerabant, delatus ad Gallicum mare, quod ab adverso litore Britanniam spectat, præsidia ibidem disponi, & præparari classem contra Nortmannos piratas, Oceani oras infestantem iussit. Tum rediens Ludovico filio rerum domesticarum finitimarumque curam tradit, ac habito Moguntia conventu, Comitem itineris Pipinum in Itallam adsumit, opportuno jam tempore Romanorum controversias diiudicaturus, Dum Venetias obit, Authores necis Henrici Foro-Julienis ducis, capitali supplicio extinxit; inde ad ita Ancona Pipinum in agros Beneventanorum dimisit, quod Grimoaldus dux hæud dissimulanter officio decessisset. sed ipse vbi Romam fausto omine pervenit, à Leone & Senatoribus urbis magnificentissime exceptus in templa deducitur, Sacrisque & gratis Divino Numini habitis, per omnia compita populi acclamationibus celebrabatur: nam ex reliqua Italia, ex

LXVI.

LXVII.

continentibus regionibus, propinquis pariter ac remotis, omnis ordinis, ætatis, conditionis homines ad famam venturi Romam CAROLI confluerant, visoque eminentissimo seculi sui Rege omnes corporis motus in lætitiã effuderant. Post septem dies publico gaudio datos, Rex advocato Episcoporum concilio, de criminibus Pontifici intentatis cognoscendum esse docet, hunc enim non tolerando sacræ sedis contemptu à quibusdam violatum innocentiam suam testari velle: quamobrem accederent facinoris authores, dignamque excusationem pararent, vt aut iustus defensio absolvat, aut reos meritum tollat supplicium. Illico percussi Leonis inimici, quædam magis in odium Pontificis, quam pro se attulerunt, & quoniam idonea probatio deficeret, CAROLVS ad rogandas sententias descendit. ea res Papalis eminentiæ splendorem paulatim obscurare visa est, proinde Episcopi, ambitionem Regiæ maiestatis authoritati præferentes consurgunt, nec fas esse ajunt, Pontificem à quoquam judicari. Rex sanctitatis opinione commotus, Leonem suggestum conscendere, & nisi conscientia delictorum mens prohiberet, DEO vindicem oculum habenti, integritatem suam jurejurando probare jubet: neque segenius id fecit Pontifex, quam Rex locutus est, sed verbis ad gravitatem maxime compositis *falsam accusatorum delationem ostendit, se nunquam visæ aut morum infamia tantam calamitatem meruisse. Potius accusatores furenti insania concitato, quum exprobratam antea eorum facinorum turpitudinem pati nequivissent, illi contumeliosè innocentem assecisse: si aliam atque nunc exponeret, ob causam, hoc malum contigisset, optare sibi tam gravem divini Numinis vindictam, quam sevis adversariorum manus sensisset.* In hanc sententiã oratione habita adeo commovit circumstantes, vt quamvis ipse reus ac iudex sua sententia absolveretur, omnium suffragio innocens esset, silentio præcipue inimicorum bonitatem causæ adprobante. Igitur Campulus & Paschalis, quæ ducibus insidiæ processerunt, capitis quidem à Rege damnantur, sed mox interveniente Põtificis deprecatione exilio multati in Galliã relegantur, motibusq; sedatis Leo dignitati restituitur. Eo tempore CAROLVS noster hætenus Francorum, ac Langobardorum Rex, vnanimi Romanorum applausu Imperator Augustus nuncupatus, & ministerio Pontificis corona redimi-

dimitus est. quoniam verò absolutz pottea bellorum tractationi pacis operaincorrupto ordine subiiciemus, haud indignum erit, Cæsarei culminis honore, velut auspicio ad cætera nobis viam successumque firmare, simul *Reip. statum, mutati Imperii causus, ac derivatum in Germanos augusta potestati apicem* vberius exsequi. Cæterum CAROLVS Imperatorij nominis amplitudine insignis Roma abscessit, ac circumlaturus pacis suæ bona, Aquilgranum contendit. Ibi conventu Principum habito, per nova sacramenta omnes sibi obstrinxit, adhæc Oratores qui controversias dirimerent, jus dicerent, æquum administrarent, in Imperij sui provincias ablegavit. Misso etiam trans Albim exercitu rebelles Saxonum spiritus domuit, cædibusque & populatione agrorum ad obsequium rededit. Interim alibi cuncta novo fulgore cedebant; Siquidem *Grimoaldus* Beneventanorum dux parum considerans, cui potentiam suam deberet, ingrata & malesana mente Italiæ felicitatem tentans aliquot vrbes jam in partes suas illexit. Ergo Pipinus, quod cum regno salutem & curam eius sibi commissam probe intelligeret, Samnium instructo exercitu petit, circumq; Beneventum acri obsidione fatigat; quanquam illi defensione strenue parata, nec minus eruptionibus tardam deditiois spem facerent. Feliciori utique eventu circa *Theate* res gesta est, hanc nequaquam pari constantia Rosellinus clarissimus Langobardorū tutatus erat: auctis etenim Vinigisi Spoletanorum ducis Francorum copiis, æmulatione virtutis inter milites, oppugnantium fortitudini vrbs cessit, quæ direpta atque incendio consumta iram victorum explevit. Statim Ortona Francorum præsidium eiectis Græcis recepit, cuius exemplum Luceria sequuta est. Id oppidum Vinigisus custodire iussus, non multo post acri morbo laborare cœpit. Quo audito *Grimoaldus* celeriter advolat, vrbes rectorum destitutas, fervidiore impetu simul ac metu, ne Pipini auxilia subvenirent, expugnat, Vinigisum in potestatem suam redigit. Cui postquam nullis verborum lenociniis persuadere poterat, ut neglecta Francorum amicitia fluentem procumbentemq; Langobardorum Remp. restituere anniteretur, ipse quid fecisset, reputans, non modo captum Vinigisum libertate donavit, verum etiam sponte in fidem & clientelam Pipini concessit. Magnam veniæ fiduciam Grimoaldo clementia concilia-

LXVI X.

liavit, qua captum Vinigilum antea affecerat, leniter itaq; habitus, & pactione annu tributum donum remissus est. Rosellinus in Australiam exulatum ixit. Ut saepe omnia hominum fortunam praenuntiare solent, sic illam quassatae Italiae tempestatem evidenti prodigio firmatam crediderim. Nam superiore anno quum Carolus Imperator Spoletum transiret, terra repente magno motu concussa est, Romae B. Pauli Apostoli aedes graviter afflictata, tetrumque ventorum turbine labefactatum cum trabibus decidit: in caetera Italia montes quosdam vasto sinu subsedisse, novos surrexisse tumulos, oppida quaedam profundo hiatu hausta esse, quaedam corruisse fama tulit. Ille fragor, per Gallias quoq; ac Germaniam auditus, varijs mutationibus suspensos postea mortalium animos habuerat. Per idem tempus *Ioannes Venerorum dux*, Christophorum quendam Graecum, in gratiam Nicephori Imperatoris Olivolensibus Antistitem praefecerat. Id quia Venetiarum tribunis displiceret, Ioannem Patriarcham Gradensem rogaverunt, ne solemnibus ceremoniis Episcopum illum renunciaret. Igitur Ioannes precibus morem gerens non modo iura & insignia Episcopatus homini denegavit, sed piorum insuper communioni interdixit. Quo facto Dux Venetus adeo ira exarsit, ut infesto agmine Gradum contendens, capta vrbe Patriarcham à cellissima turre praecipitaret. Inde Altinæ conventus habitus, & Paulino Aquilegiensi Patriarcha praeside *Fortunatus* mortuo Ioanni successore datus est. Hic accito Obelerio Metamaucensi tribuno consilium in Franciam secedendi cepit, ut CAROLVM adversus Ducem incenderet, rebus Nicephori maiore quam par esset studio addictum. Dux excepto consilio rursus classem Gradum promovit, ac *Fortunatum* & Obelerium inde excedere coegit. Illic cum se *Tarvisium* contulissent, Obelerius à Venetis exulibus dux declaratus est, *Fortunatus* in Franciam ut constituerat properavit. At posteriore anno accisus per Obelerium Veneti ducis viribus, *Fortunatus* exilio suo major, & insignibus à CAROLO beneficiis cultus ex Francia domum rediit. Etenim Imperator & suo erga res sacras amore, & in Venetum odio instigatus concessit *Fortunato*, ut ipse sacerdotes, coloni ac servi eius per omnem Langobardiam, *Histriam, Romaniam, nemine turbante, quietam vitam transigrent, neque*

iniqui velligalibus aut iudicibus premerentur. Obeletrius, interim fugato Ioanne coronam quæque alia Ducatus insignia sunt accepit, & consensu populi Beatum ac Valentinum fratrem honoris consortes sibi adscivit. Ista Venetorum ducum mutatio majoribus turbis velut præluserat, quas, cum & Imperatori nostro molestæ fuerint, postea memorabimus. Tum excisa Hunnorum nobilitate, & repressa sat idoneis cladibus gentis pertinacia, controversias de finibus motas, arbitrium Victorum terminavit. Magna Bojorum manus colonijs eam regionem occupavere, quæ *Austria* nomen sumpsit. Quidam fuis Avarum reliquijs ad Daciæ confinia inter Tibiscum & Savam, sedes extendere. Flumini variato paulatim sono, *Hungari* posteris dicti sunt, Avarum nomen cum imperio intercidit, suspicatur autem *Cyprianus* eam olim primariam sedem Avarum fuisse, quæ Hungarica lingua *Avar*, Germanis *Altenburg* hodie vocatur. Caterum Arnoni Salisburgensium Archiepiscopo rerum sacrarum cura in Pannoniam commendata est, ne prolatis imperij finibus gloria Christi marcesceret. Procurrente sic imperij cursu post Hunnos Saxones denique veteram & sine exceptione Victoriam Francis concesserunt, quanquam omnia prius experti, more anguim, qui obruto capite ultimam veneni vim cauda exserunt. Genti libertatis studio indomita *Godofredus* Danorum Rex animos augebat, verens, ne Franci nimia felicitate ac recenti dignatione tumentes, Daniam quoque in imperij complementum rapere conarentur. Igitur *Saxonum* rebellionem defensionem suam moram & regno munimentum concedi ratus, eodem metu servitutem averfantes complet, hortaturque ut jugum recens excutiant prius, quam languescente impetu potentia hostium vetustate roboraretur. Nulla oratione apud volentes opus fuit. Qui trans Albim incolebant, statim à fide desciscunt, & *Vestphalos* etiam ad societatem infelicium armorum perducunt. Cum pœnitentiæ spes non appareret, Imperator novo milite Saxoniam implet, datq; filio CAROLO mandata, ut superato prope Noviomagum Rheno auxilia sibi adduceret, Ludovicum insuper ad sociandas vires celeerrime Aquitania evocat. Equitatus ex Francis ferme collectus fuit. Peditatus maximam partem Abodriti Francorum socij, Francones & Bavari constitue-

LXIX.

sunt. Ubi signa cecinere, hostes pedite superiores acriter pro-
 dicta certaverunt, & irruentem Francorum equitatum diu susti-
 nentes, ancipitem fecere victoriam, donec indurata illorum virtu-
 te fessi, & à tergo circumfusi, præcipiti fuga castris, quæ loco ido-
 neo muniverant, illapsi sunt. Magno stetit hæc Francis victoria,
 nec enim pauciores ex ipsis quam ex hostibus ceciderant, confe-
 cto tamen prælio ac dissipatis Saxonum viribus, omnia sedata ac
 prona reperiebant. *Vestphali* nulla re magis, quam Christiana re-
 ligione profitenda, expiare iram victorum poterant. igitur sacro-
 fonte abluti pacem impetrarunt, Saxones trans Albim severior
 pœna coercuit, toties videlicet rebelles, & nunc vltimæ defectio-
 nes concitores in Galliam migrare coacti sunt, vt & feritas populi
 clementioris cæli aura mitigaret, & exilium inter medios hostes
 omnem rebellandi materiem tolleret. Decem millia hominum is-
 tæ coloniz patriis sedibus abstraxerunt, neque parva manus Ro-
 mam traducta est, cui locus propè D. Petri sanum in habitationem
 concessus, postea *vici Saxonum* nomine inclaruit. Ne verò vasta so-
 litudine Saxonia corrumpetur, *Abodritis* Francorum societate
 non semel hætenus celebratis, ob navatam strenue operam vacua
 possessoribus terra cessit. Sic dispersa gente nemo sperabat am-
 plius in illis oris bellum, & *Vestphali* nondum penitus repressi e-
 rant. Nimia fere Augusti clementia provocati jugum aliquoties
 excusserant, præsentem & intentantem arma imperata facere prom-
 pti, mox abeunte ac reducente copias ad ingenium suum re-
 versi; ea pertinacia continuis cladibus quidem fracta, denique
 prudenti consilio expugnata est. Victis namque & amentiz ve-
 niam orantibus Magistratus publice dati, qui legum vigore & au-
 thoritate iudiciorum negotia publica privataque administrarent,
 nec ab his provocatio nisi ad Imperatorem ipsum esset: adhæc san-
 ctius arcanumque selectissimorum hominum concilium institu-
 tum est, qui sine provocatione cunctos iudicarent. Erant autem
 viri graves, spectatæque integritatis, selecti ad hoc officium, vt ex-
 teris omnibus ignaris *Vestphaliæ* oppida, vicos, conciliabula cir-
 cumirent, mores, dicta ac facta hominum observarent, & quos-
 cunque latrociniorum, neglectæ fidei, violatæ pacis, desertæ reli-
 gionis convicissent, sine mora supplicio traderent. Reos nulla di-
 gni-

gnitas aut intercessio apud Conscios, (ita vocabantur iudices) dissolvebat, summi pariter ac infimi prius suspendio luisse delictum videbantur, quam de modo ac magnitudine eius constabat. Id *ius Vespalicum* appellatum est, adeoque tanti arcani severitas, & improvisa criminum postulatio Vestphalos terruit, ut sequentibus temporibus faciliori negotio parerent. *Gothofredus* Danorum Rex, hac Saxonum fortuna percussus, cum omnibus copiis & classe ingenti Cimbricam Chersonesum advectus, molitionibus Imperatoris intentus sedit. Illuc quum oratores, CAROLI per fugas repetitum venirent, facerentque mentionem ineundæ pacis, ipse Rex Imperatorem colloquij causa salutare decrevit, ac perfecisset etiam, nisi purpurati diversa suassissent. ne utiquam tutum esse contententes, ut Rex vnicus nunc em orientis per Germaniam libertatis vindex, alienæ ac tantopere quidem suspectæ fidei sese committeret. CAROLO enim Imperium orbis quærenti nihil inhonestum iri, quod vtile foret, atque si blandissimis verbis ad se Regem pellexisset, prius cupiditati suæ, quam hospitij iuribus obsequutorum, exemplis omnium seculorum doceri, nullam in eiusmodi Principum aulis fidem, nisi quatenus expedit, dictis promissisque præstari: aliis forte rebus pietatem coli posse, jus regnandi gratia servari non posse. Ita domi retento Gothofredo legati Imperatoris conditionum summam proponunt, & his legibus pacem cum eo sanciunt, ut *captivi vtrinque redderentur, Dani suis insituti viverent, & cum Franci eosdem pro amicis inimicisque haberent.* Dum pæcatur Saxonia, Danicæque procellæ turbo paulatim sistitur, magni, ut vulgò jactabatur, miraculi fama aures & ora hominum impleverat. Beryti, quæ Phœniciz vrbs est, Iudæum quendam, in contemptum nostræ religionis Christi crucifixi imaginem perfodisse prodiderunt: vnde vberim sanguis effluerit, cuius virtute multi mortales gravissimis morbis liberati, ardentissimæ religionis stimulos animis senserint. Sanguinis portio deinde nescio quo fato Mantuam translata, CAROLUM quoque ad primum rei nuncium in venerationem rapuerat, ut confestim literis à Leone Pontifice contenderet, ne gravaretur tanti veritatem miraculi ad liquidum perducere, cognitamque sibi perscribere. Leo acceptis mandatis Mantuam profectus est, & re omni explorata lite-

LXXI

ras ad CAROLUM dedit, quibus significabatur, se vbiunque terrarum Imperator esset, Dominica Natalitia cum eo velle celebrare. Quod simulatque CAROLUS rescivit, filium cognominem in adventum eius præmisit, Remisque nobili Franciæ vrbe perhumaniter exceptum Carisiacum primo, vbi festi solennia peracta sunt, mox Aquisgranum deduxit, vbi paulo ante magnificentissime extructam B. Virginis ædem, solennibus ceremoniis tum Pontifex inauguravit, qui per octo dies honorifice habitus, magnisque cultus donis per Bojariam domum recessit, comitibus ab Imperatore ipsi Ravennam vsque adjunctis. *Paulus AEmilius* non inventum Mantuæ sanguinem, sed aliam & secretiorem causam suasisse hanc profectioem Leoni contendit, quod Vir prudens æmulatione inter duo maxima Imperia Orientis nempe & Occidentis, surrecturum aliquando dissidium velut è specula prospiciens, suâ etiam interessè existimaret, cito ad CAROLUM transire, deque imperio imminentibus turbis cum ipso deliberare. Quod sanè propius fidem videri potest. Ad illud sive miraculum sive commentum vt plus ferme superstitionis quam veræ religionis in mentibus hominum reliquerat, ita vicissim ex alia orbis parte incrementa Christianæ religionis eluxerant. Quippe *Caganus* Hunnorum regulus eo tempore exul CAROLUM accessit, ac supplici voce locum sibi inter Carnuntum & Sabariam, (oppida sunt Tejæ fluviò, qui Danubio vndas suas committit, vicina,) inhabitandum dari postulavit, quoniam assiduis Sclavorum incursionibus vexatus patrias sedes amplius colere nequisset. Hunc Imperator, quod Christianorum sacra publice professus Theodori nomen recepisset, voti compotem in illas oras dimisit. Cui Theodoro repentina morte terris subducto, alius quidam *Caganus* succedens, easdem ab Imperatore terras in regnum obtinuit, simulque sacro fonte adpersus, divini cultus professionem Abraami nomine inthoavit. Sed cum frequentibus atrociniis omnis illa regio premeretur, CAROLVS *junior* patris jussu armatam manum in Bohemiam præcipuam Sclavorum sedem perduxit, vastatisque incendio agris ac penetratis limitibus pugnam cum Sclavis, diu ancipite Marte subire coactus fuit. Siquidem *Beccho* eorum dux, homo militaris & bellorum expeditionibus indu-

induratus inter confertissimos dimicans, nec minus militis gregarij munera quam ducis exsequens, ingenti terrore paciter ac cæde Francorum copias turbaverat, donec audacius densissimæ cohorti sese ingerens, ab hostibus vndique circumfusis occisus est. Et sublato fortissimo Imperatore confestim Bohemica vis cessit, præliumque diremptum æqua ferme clade, nisi quid ex Francorum auxilijs plures, è Slavjs præcipua nobilitas ac proceres juventutis ceciderant. Sic vno confictu bellum discussum, terra Hunnorum infestationibus liberata est. CAROLUS formata in obsequium gente, (quanquam sunt, qui ante finitam expeditionem revocatum esse scribant) triumphans ac plenus gloriæ ad patrem rediit. Quod mea fide non retulisset, id tutius alieni Scriptoris testimonio præsentibus adijci posse spero. Memorat autem *Aventinus* gigantem quendam è pago Sueviæ oriundum in agmine CAROLI milicasse, qui obvios quosque hostium velut fœnum demetens sæpe tanquam aviculas cuspide fixos in humerum sustulerit, cumque domum reversus à popularibus interrogaretur, quomodo res cessissent, indignabundus dixisse fertur inutilem tantum apparatus fuisse, se etenim non raro septem vel octo ranunculas miserime vociferantes huc illuc vario ludibrio circumgestasse. Sic composito Sclavorum tumultu Imperator filios suos Theodonis villam convocat, eò cum CAROLUS Junior è Boëmania, ab Hispanico limite Ludovicus, ab Italia Pipinus advenisset, de summis & Imperij tutelam concernentibus negotijs disceptatum est, erexitque *ultima voluntatis monumentum* Augustus, ne si quando in initia sua resolutus esset, sædæ certamine manus confererent filij, & redditam tertis pacem discordia aut regnandi libidine turbarent. Id vero iudicium, ceu inter amicos fieri amat, per Eginhardum Leoni Pontifici maximo transmisit, ut sua manu subscriberet, eius summam postea referemus. Paulo ante Obellerius ac Beatus fratres Veneti duces, cum Paulo Iader tinorum Comite, ac Donato Episcopo Imperatori præsto fuerunt, ingentia dona ferentes: Dein impetrato colloquio *nihil magis Francicæ rei profuturum*, docuerunt, ac si Dalmatia in amicitiam recipereur, qua gliscente inter duos Christiani orbis Imperatores invidia, peiori Francorum conditione ad Nicephorum devolveretur. Namque vbi eam oc-

LXXII.

cupisset, simul Adriatici maris dominium pro amisso recuperandum esse, videndumque insuper, ne doreliâ Venetorum causa socij omnes labascerent, ac Resp. aliquid detrimenti caperet. Facile CAROLUM & Italici regni possessio omnibus omnino viribus tenenda, & præsens Venetiarum status, antea per Fortunatum Gradi Antistitem satis sibi commendatus, & simulas eum Nicephoro movit, ut Dalmatas in fœdus reciperet, ac Obelerio ferret opem. Per idem tempus Sclavi & Sorabi Albis accolæ, assueti sub Ducibus suis vivere, Francorum imperium detrectabant, sed congressi acie & amisso duce Mileostio leges acceperunt: duo castella prope Salam Albimq; ædificata terrorem genti incusserunt, ne his velut claustris septi iterum rebellarent. Et quoniam tunc Caganus decesserat, Hunnia in formam provinciæ Francorum redacta, leges & Magistratus à CAROLO accepit & in aliquot annos reges habere desijt. Sed dum ea geruntur Saraceni partim Africa, partim Hispania egredientes, Corsicam insulam & litora Italiæ infesta latrociniiis reddiderunt, quæ res extemplo Pipinum excivit, ut consueto more Italici regni tutelam susciperet; ergo missa in mare Tyrrhenum classe adeo repentino adventu Saracenos terruit, ut ne expectato quidem navali prælio celesissime domum refugerint. Solus Andomarus Genuensium Comes, dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus navi prætoria intercepta, trucidatus est. Postero anno quum solita audacia adjacentes Italiæ insulas vexarent, Burchardus stabuli Comes, maximi nominis dux in illos immisus est. Et Sardi quidem egregie pugnando ac tribus millibus Barbarorum occisis, hostes à semet removerant, qui mox Corsicam repetentes, à Burchardo navali pugna excipiuntur, vbi tanta Francorum virtus fuit, ut conjunctis arctissime navibus nullam Saracenorum paterentur elabi, sed continuo ardore dimicantes in summas angustias hostes perduxere, qui postquam vincendi spes nulla, salutis modica superesset, præcipiti fuga & amissis tredecim navibus salutem quaesiverunt. Hic annus non modo Saracenorum clade, sed & Aaronis Persarum Regis à remotissimis oris ad CAROLUM legatione ac crebra Lunæ solisque defectione insignis fuit. Visæ etiam terribiles in cœlo acies bellorum imminentium Veneti Danicique prænuntiæ fuerunt. Fervente inter-

cum tumultu, Eardulfus Nordanumbrorum Rex, imperio & patria
 pulsus ad Imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit,
 & exposita adventus sui causa, Romam proficiscitur, ut Leonis
 quoque misericordiam eliceret, succinctusque benevolentia ma-
 ximorum in Rep. Christiana capitum, armata manu aut certe vi
 nolentibus intentata in regnum restitueretur. Præter innatam
 CAROLO clementiam movit eum & exempli, & communis
 regum omnium causa, quam negligere periculosum fuisset, cum
 in vnius regis exitio cæterorum salus vertatur, ac nisi sequatur vl-
 tio, subditi aliorum libidine excitati, vbique Principibus suis insi-
 dias struere tentent. Quamobrem Roma regressum Eardulfum
 per legatos domum reduci imperavit, eique negotio honoris gra-
 tia, & magis non prohibente CAROLO quam iubente, Leonis
 orator adjunctus est; quod factum immodicis Pontificiarum pat-
 tium admiratoribus speciem præbuit, quasi Imperator, seposita
 Leonis auctoritate non sustinisset Eardulfum rursus in regio
 throno collocare, cum tamen Pontifex neque ab vlllo tantam po-
 testatem acceperit, neque sine CAROLI virtus tale quid moliri
 potuerit. Ante annum quam hæc agerentur, Salisburgi con-
 ventus indictus est, cui Arno Salisburgenfis Archiepiscopus, cæ-
 terique Bojariæ & vicinarum regionum Antistites ac Sacerdotes
 interfuerunt, qui collatis sententiis decrevere, *ut bona sacris vsibus
 destinata, in quatuor portiones postea dividerentur, quarum vna Episcopis;
 altera sacrificulis cederet, quo diligentius animarum curam gererent; ter-
 tia, pauperibus erogaretur, præsertim si vitio corporis aut morbo debilitati,
 nullo laboris genere mercedem in vitam tolerandam acquirere possent, quar-
 ta denique in conservationem templorum aut instauracionem servaretur.*
 Interjecto deinde tempore Aquisgrani de S. Spiritus processione di-
 sputatio mota est, quam Iohannes quidam monachus Hierosolymita-
 nus primum in lucem protulerat: eius componendæ gratia Ber-
 nardus Episcopus Vormatiensis & Corbeienfis monasterij Abbas
 Pontificem convenerunt. agitatum in eodem concilio de statu
 Reip. Christiana, & conversatione eorum, qui solitaria pietate Deo servire
 perhibentur, neque tamen aliquid certi definitum fuit; siue difficul-
 tas siue magnitudo rei cœptæ obstabat. Brevi dein temporis in-
 tervallo tempestas Veneta erupit. Quippe Nicephorus Imperator
 Græ.

Græcorum vbi Ioannem ac Mauricium Venetiæ duces ab Obelerio in exilium pulsos, Dalmatiamque & Venetias intestinis motibus ardere comperit, Nicetam Patricium cum classe ad oras Adriatici maris ablegavit, vt factionibus sedatis exules ducatu restitueret. Cuius adventu Dalmatæ perculsi non expectata vi à Francorum fœdere, ad Græcos redeunt, Veneti recepto Niceta, Duces, quos ille restituere iustus erat, domum se revocatu negarunt, ac Beatum Ducem Obelerij fratrem Constantinopolim miserunt, qui consilij sui Nicethoro rationem redderet, simul exaltationem, quod non recepissent afferret. Pipinus his auditis statim pro regia dignitate arma paravit. Nicetæ obviam iturus, patris tamen in animum sequentem induciis quievit magis, quam resinit a proposito, Nicetas Constantinopolim reversus est. Postquam verò induciæ exissent, Paulus Cephaleniæ præfectus loco Nicetæ in id bellum submissus, maximam classem Hadriatico sinu inexit, & appellens Venetias, mox succedente hyeme Comaculum insulam Venetorum finibus obiacentem invasit. Ibi satis constat summo esse prælio decertatum, ab vtra vero parte victoria steterit, parum in expedito est, *Venetis scriptoribus* hoc decus ad Paulum, *Francis* ad Pipinum trahentibus. Non improba forte conjectura erit, si quis magna vtrinque strage pugnatum credat, detrimento tamen Francorum minore. Græci certe confertis viribus pacem optantes animum quoque Pipini pronum reperissent, nisi Obelerius totum impediisset negotium, qui hinc ab vtrisque offensam sibi contraxit. Igitur sequenti anno majoribus animis bellum repetitur, cuius historia, adeo varje à scriptoribus commemoratur, vt neque in causa, neque in eventu consentiant. *Sabbicum & alij* omnem culpam Venetorum fuisse contendunt. Nicethorus enim ex quo Græci imperij habenas suscepisset, legatis ad CAROLUM missis in has ferme conditiones pacem cum eo fecerat: vt ambo Imperatores Augusti, Orientis alter, alter Occidentis dicerentur, circa Italiam istud observaretur, vt hinc à Neapoli, illinc à Siponto, quicquid vltioris Italiæ in mare procurrat, cum suis è regione insulis, à Græco; reliquum à Franco Imperatore jura peteret. Medius veluti limes & cardo inter duo imperia Venetiæ vtriusque majestatem conservarent. Neutri se addice-

rent, suis vterentur legibus, Cæsatum essent amici, & siue pax siue bellum ingrueret, neutrius censerentur. Hunc æquissimatum legum tenorem negligentes Veneti, proniores Nicephori partibus fuisse visi sunt, ac tantum non pro hostibus Francos habere. Propterea quum Pipinus Dalmatiam sibi vindicaret, Veneti aperte resistere ausi, à Nicephoro Imperatore naves aliquot in suppetias contra Pipinum impetrârunt, qua insolentia ille exacerbatus vindicare se ab iniuriis voluisse traditur. *Adelmus Benedictinus & Franci* causas edisserentes, Pipinum perfidia Venetorum ducum impulsu terra marique Venetias inuasisse scribunt, eaque bello subacta, ad vastanda Dalmatiæ litora processisse, verum Paulo Cephaleniæ præfecto classem contra ducente domum re infecta reversum esse. Sin Venetos audimus, Pipinus jussu patris hoc bellum adornavit, ut Obelerium & Valentinum duces reduceret, quos Beatus frater Constantinopoli rediens tanquam Francis amicos vrbe ducatuque depulerat. Cæterum ut apparatus belli, sic exitus fuit memorabilis. Pipinus præcipuas Venetorum vrbes, Brundisium, Palæstinam, Albiolam occupat, & Methamaucum quæ ducum regia erat, ab optimatibus desertam diruit, & quoniam ferro in homines non poterat, in ædificia igne grassatur. Dein ubi belli summam circa Rivoaltum constitisse, & omnes Venetorum copias ad eum locum retinendum coactas inaudivisset, milites suos traicere illuc iussit. Majoribus navigijs quia exercitum advehi non posse, periti regionum edocebant, proximis annibus lintres Pipinus eduxit, quæ ob paucitatem rates è trabibus compositas addidit, atque in modum propugnaculi viris armisque repletas adversus hostem dimisit. Sed classe in altum provecta, post aliquot dies æstus maris, qui maxime remigium adjuverat, decessit, & rates brevibus stagnis impeditæ neque propelli neque retrahi potuerunt. Sic destitutos Francos Veneti lintribus, quæ abundabant, adorti, omnes aut occidione deleverunt, aut tenuerunt captivos: plures etenim confisos tenui aqua, & pedibus vadum tentantes, quod ad litus fuga pateret, limus impedit, ut hærentes & gravati corpora, nullam salutis nisi in victoriæ clementia spem haberent. Pipinus qui Metamauci felicem rei eventum opperiebatur, ubi tantam suorum cladem accepit, mœstus Ravennam repetijt, postea ab omni fortunæ

LXXV.

tunæ insultu liber, eodem quippe anno Mediolani vitæ huius miserias cum æterna felicitate commutavit. *Huldricus Mutius* homo Germanus, cuius fidem clarissimi nominis Vir *Theodorus Grassyphinkelus* magni æstimat, in opere de *libertate Veneta* conscripto, paulatim variat in iis, quæ circa hoc bellum acciderunt. Ait nempe *Pipinum* vacuos primo habitatoribus agros & oppida Venetorum in potestatem suam redegisse, mox præparata classe urbem ipsam à lateribus vndique cinctam, obsidione tentasse, atque ut facilius ea potiretur, mare quod continentem & Venetias interjacet, pente stravisse. Sed Venetorum subditi derelictis patriis sedibus intra mœnia urbis sese receperant, neque minoribus animis toleraverant obsidionis mala, & quoniam non modo instructam habebant classem, verum etiam nauticæ artis peritissimi erant, *Pipinum* sæpe longa mora eluserant: jamque structus à *Francis* pons urbem fere contigerat, cum illi invento ignis marini totam molem paucis horis corruerunt, quæ media nocte conflagens, magnam militum manum, stationes forte servantem, simul absumpsit. Inde navali prælio certatum esse, ac *Pipinum* vna atque altera navi amissa retrocedere coactum *Mutius* memorat. CAROLUS nunciata *Pipini* morte haud secus quam par erat, motus, omnes deinde cogitationes ad pacem transtulit. Ne tamen indecore aut cum Majestatis detrimento pacisceretur, neve *Francisci* nominis terror, qui omnia longe lateque impleverat, subsideret, oblatam sibi occasionem avide arripuit. Quum enim *Francos* reparare naves, expectare alios à *Germania* milites, & maxima quæque moliri *Venetis* nunciatum esset, ipsi etiam de libertate sua & pace solliciti, Legato *Pontificis*, qui velut conciliator partium, animos primò eorum tentabat, exponunt: sibi verò gratissimam pacem fore, modo libertatem integram, & qua maxime opes urbis auferentur mercaturam cum *Græciis* ad *Propontidem* Pontumque conservarent; suis præterea ducibus, non *Reip.* hanc mori belli culpam incumbere, quos nefaria in patriam consilia inivisse vel ea fide adstrueretur, quod voluntario exilio seipos multassent. Sic excusationem ferentibus *Venetis*, omnemque invidiam in *Duces* suos reiciantibus Imperator æquior factus, pacis fœdera his conditionibus perscribi iussit: ut libertate salva vterentur, commercia in Oriente libera haberent, & quod antea quoque observabatur,

inter utrumque Imperatorem medij essent. Hæc CAROLI moderatio ingens Venetis gaudium creavit, statimque & Urbs & Respubl. novam quasi faciem induere orsa est. Cæperat enim Beatus Dux post Rivoaltensem victoriam ampliores sedes meditari, & quod Metamaucum excisum videret, complures Insulas, ut quæque Rivoalto proximæ erant, pontibus inter se jungere decreverat. sic enim singulas parvas quidem, sed univasas magnificentissimæ vrbis speciem præbituras, eam ceu hodie est, magnitudinem & dignitatem vrbis, animo concipiens, speraverat. In medio operis molimine vita decedens, Angelo Patriciaco successori incepta perficienda reliquit. Ille Olivolam Episcopo, Rivoaltum Duci sedem & publico concilio destinans, connexas inter se insulas vno *Venetiarum* nomine appellavit. Hæc prima amplissimæ Reip. incrementa fuisse feruntur, quæ *Sigonij testimonio* terminis à Grado ad Caput aggeris angustissimis tum continebatur. Interjecta brevissimi temporis mora Nicephori quoque legatis nomine Imperatoris sui flagitantibus pax data est, cumque redeuntibus domum Oratores CAROLI ad firmandam eam profecti sunt, & quia Obelerius in Gallijs hætenus exul perfidiæ à suis pariter & Franco accusaretur, spoliatum honore ducis, atque ut Nicephoro, cuius *Spatharius* erat, adduceretur, legatis commissum esse, *Authores aliquot* prodiderunt. A quibus diversam *Grasvinkelius in libertate Veneta* sententiam fovet, cum verisimile non sit Obelerium à CAROLO MAGNO ob perfidiam male habitum, quem omnes præne Scriptores patriæ suæ aut saltem Ioanni Mauritioque Venetorum pridem ducibus infestum ad CAROLUM confugisse bellicue Venetis inferendi æterrimum fuisse impulsorem confitentur, quidam etiam naturalem CAROLI filiam in matrimonio habuisse tradunt. Finem verò vitæ Venetiis Obelerio contigisse *idem Grasvinkelius* probat. Restitutus etenim quanquam ægre CAROLI auctoritate ducatu, à populo cuius maxime odio laborabat, paulo post immaniter interemptus est, atque discerptus, sat claro iterum exemplo, *invisa imperia neminem diu retinere posse.* Dum hoc modo Italia & ad Orientem res disponuntur, non interrim quies eadem Septentrionis plagam tenuit. Quis speraret post Saxonos aliquod in illis locis bellum? Atqui non leviter *Dania* se

LXXVII.

concessit. & fuit in Gothofredo, quod post Witkindum timeretur. Quippe Rex prisca suæ stirpis authoribus & jam longa successione ferox, imperium Danti in eminenti fastigium perduxerat, & militem bellorum exercitijs ad insignem redegerat disciplinam. Gerebatque se ita hætenus adversus Francos, ut neque eos bello lacefferet, & si lacefferetur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet. Saxonibus & alijs à Francis descendentibus erat apud eum perfrugium, totumque ex male dissimulato agebat æmulum, nec non superbiebat eo tutior quod à tergo invictus, in fronte peninsulam incolebat, ac fines suos quæ Francorum incursionibus patebant, fossa, aggere, ac vallo habebat munitos. Denique otium regno suo periculosum ratus augere illud, & pacem superioribus annis factam rumpere statuit. *Quid enim Germania ad CAROLVM, aut cur eius dominio tantopere inhiaret? Cur non Gallia sua aut Italia curam gerens, relinqueret intactam aliarum gentium libertatem? an quia plerique populorum sub regibus vivunt, pauci verò exosculantur libertatem, illis quoque sua libertas exitio erit? non quidem ideo se talia profari, quod regnorum conditionem deteriore agnosceret, sibi quoque id fastigium à dijs immortalibus tributum, quo quippe inter deos hominesque nihil pulchrius existeret: sed immoderatam CAROLI libidinem animo suo nondam capere, qui solo libertatis Saxonum non tunc offensus, eos per triginta quatuor annos continua bellorum serie fatigaverit, ut multi quidem animam prius quam libertatem amiserint, ceteri verò intolerabilibus malis adflicti triste servitutis onus subire coacti sint: neque sic penitus expugnatam illorum constantiam, potius terram ac cælum ipsum sæva infelicitis gentis accelerasse: abstractam enim patrii sedibus inter infestissimos hostes collocatam esse, & velut pecora pastores traiciunt, ita hinc illinc ad libidinem Francorum translata: præterea aère illo qui ad suam naturam ingentia & corpora format, miseros privatos, subjectosque molliori cælo, qui & animi fortitudinem extingueret, & languidiora redderet corpora. se vindicem libertatis Germanicæ tantam amplius insolentiam pati nequivisse, alias namque sibi expectandum, quod in vicinia modo bellum conflagraverit sibi iusto titulo Germaniæ imperium, sibi coronam deberi, cum & origine Germanum semet, ac dominantibus nuper Saxonibus socium perpetuo professus sit: cogitandum denique CAROLO, ipsum Italia ac Romanorum, non Germaniæ Imperatorem fuisse creatum, distribuat igitur Italici suis iura ac legibus*

gibus libera nationi incognitis turbare Germaniam desinat. Hæc & familia tumide jactans, primo impetu Abodritos aggressus est, atque excitis in societatem militiæ Sclavis sive (vt Franci vocant) Valtis, maximo terrore omnia complevit. Aliquot Sclavorum castella expugnaverat, & fugato Thralicone, captoque per insidias Godelabo præcipuis Abodritorum ducibus, tributariam sibi majorem provinciæ partem fecerat, ac quoniam frequentibus prælijs promptissimos militum amisisset, in oppugnatione cuiusdam oppidi desiderasset etiam Reginholtum fratris sui filium, regredi paulisper, nondum tamen exlatiata libidine visus erat. Tam hostili insultu postquam premi socios Imperator cognovisset, CAROLUM filium ad Albim, cum valida Francorum Saxonumque manu procedere iussit. Urebat maxime generosum animum, Gothofredi superbia, qui brevi se Aquisgrani futurum, & ex cælo CAROLO cuius vnum in Germanos imperium esset, occupaturum sedem illam simulque fastigium Germanici regni minabatur. At filius Augusti facto per Albim ponte, Livones primum & Smeldingos invasit, qui ultra Saxoniam longe lateque habitantes ad Gothofredum defectionem paraverant, vastatisque illorum agris in Saxoniam est regressus. Igitur Gothofredus tam propinquo hoste retrocedens, Rericum ad Oceani litora celebrem mercatu nudinarumque frequentia & vetulgalium magnitudine urbem funditus destruit, ac translatis inde negotiatoribus cum vniversa classe portum, quem Liesthorincolæ vocabant, appellit. Ibi per aliquot dies moratus, regnum qua Saxoniam respiciebat, velut prædiximus munimentis ita vallaverat, vt Oceani latera vtrinque pertingerent, retraxeratque emporium multarum gentium conventu nobile. Una omnino porta aditum præstabat, per quam equites & carri rebus advehendis necessarii emitti pariter ac recipi possent. Ne tamen omnis moti belli culpa sive invidia in ipsum redundaret, posteriori anno per negotiatores CAROLO exponi curat, *se immerito apud Eum, in odio esse, cum Abodritis bellum fecerit, non proferendorum sinium, sed vindicandæ iniuriæ gratiæ; illos primum rupisse fœdus, sibi que necessitatem defendendæ salutis fuisse impositam.* Poposcit insuper vt congregato procerum in confinio vtriusque regni conventu res gestæ ad liquidum producerentur, & peccata hæcenus utiliter emendarentur. Non

abnuat Imperator, quod ipsa per se honestas suadebat, & confestim selectissimos suorum ad Albim præmittit, qui adventantes à Dania primores exciperent. Iactatū ibi inter conditiones à Francis fuerat, ut *Gothofredus Abodritis erepta restitueret, redderet obsides, remitteret stipendium, Vilzos pro hostibus ac perfugis reciperet: ne uem foæos Imperatoris taceret amplius, aut deditios subtraheret Imperio, ita facile discordiam sanari, & in amicitia Francorum eum esse posse.* Contra Dani. se verò ad bellum compulsos respondent, *Aboduros sive Venedos iure belli stipendiarios esse, victores libera uti in victos potestate, delere Principem tutelam suam expectentibus dare, denique fœdera Francorum sibi præsidio & ornamento non detrimento esse debere.* In hanc sententiam vltro citroque iactatis sermonibus, quum neutra pars excidere speratis sustinuisset commodis, re infecta discessum est. Interiecto tempore Thrasico, cuius filium Gothofredus obsidem habebat, vlturus acceptam antea cladem & succinctus auxilio Saxonum, Vilzorum agros populatur, potitusque ingenti præda domum quidem regreditur; sed submissis iterum à Saxonibus copijs erectior, præcipuam Smeldingorum urbem obsidet, qua capta adeo terrorem nominis sui auxit, ut civitates quæ defecerant, ubique victor reciperet. Mox, ut fortuna non diu servat fidem, in oppido Rerico, cui temere se crediderat, ab insidiatoribus per Gothofredum subornatis trucidatus est. Sed Imperator postquam tentata modo pax non successit, fortiori adminiculo reprimendam esse Gothofredi audaciam putavit. Collecta igitur è Galliæ atque Germaniæ oris sat magna hominum manu castrum trans Albim ædificare, & in eo præsidium Francorum disponere statuit. Delectus est huic operi moliendo Egbertus comes, qui armis ac cæteris rebus necessariis, instructas copias in Danici regni confinia perduxit, cumque attigisset locum, patrio vocabulo *Eysfeld* appellatum, contemplatus urbis situm & naturam, idonea ipsi visa est, quæ munitionibus probe firmata Danorum cervicibus imponeretur, & indomitam adhuc gentem quasi freno contineret. statimque operi manus fuit admota. Dani quod in his regionibus parum prospere pugnarent, alibi fortunam tentare, & in hærentem Daniæ Francum extorquere decreverunt. Quamobrem ducentarum navium classis, propitio mari in Frisiam subvecta, securam & nil tale me-

tuentem subita irruptione terruit. Incolæ tribus præliis fusi profligatique imperata facere, ac tributum loco centum argenti libras pendere coacti sunt. Et ut Francis negotium ubique faceretur, Vilzi hostium infensissimi arcem *Hochburgum* ad Albim extractam, ab Odone Imperatoris legato hætenus defensam, expugnârunt. Imperator ubi Danis quidem Auctoribus factam Frisiorum cladem Gothofredum tamen è Dania non recessisse comperisset, statuit ipse decernere: quippe quæ per duces suos acta erant, non omnia probabat, & quia victoria aliquoties adversis interpolata erat, aliquibus fortunam, multis curam abfuisse rebatur. Igitur Luppiâ versus se conferens, copias quæ nondum convenerant, expectavit. illis autem congregatis ad Alaram quanta potuit celeritate pertendit, vires cum Gothofredo jamjam adventante conferturus. Neque ille minus pro imperij sui gloria certare cupiens, promiscuas loquebatur cædes, & magnam victoriæ spem concipiebat. Sed in medio bellorum apparatu felici nuntio Imperatoris castra personuerunt. Siquidem Danus dum iter accinxit, domestico facinore oppressus, satellitis manu cecidit, vir acer, belloque strenuus, aliquando fortuna, semper animo magnus, iniquus præterea, & regnorum fines non jure sed libidine dominandi metiri solitus, cuius mors multum Imperatori lucrifecit. tanta enim lues invaserat boum armenta, ut quos ad necessarios vsus Franci exercitus habebant, ad vnum omnes interirent, idq; malum per omnes Imperatoris provincias tum grassatum erat, & metus occupaverat hominum animos, ne si expeditio, in Daniam continuanda esset, inopia milites vrgerentur, & corruptus tetra contagione aër, majori detrimento ipsum agmen multaret. Hyemis deinde asperitas, & rigens gelu tellus inter ambos exercit^{us} inducias promovebat, donec Hémingus successor Gothofredi prima veris téperie pacem cum Imperatore interventu decem procerum ab utraque parte selectorum fecit, & solemni juramento firmavit. Quo tempore devastatam Livones, & castellum *Hochburg* nuper à Vilzis destructum, Francorum opera restauratum est. Et quoniam superioribus annis Oceanum Belgicum per Nortmannos piratas infestum reddi Imperator acceperat, ipse hoc anno omnem eam oram præsens lustravit, præsidiaque & classem, ut quisque desiderabat locus disposuit.

posuit, turrim magnifici operis ad Bononiam maritimam urbem restituit, vnde nocturnus ignis navium cursus dirigentibus prælu- ceret. Gandavum postea transiens Aquisgranum contendebat, vbi in itinere legatos *Hemmungi* obvios habuit, pacificum Regis sui animum muneribus declarantes. Gratus hic Imperatori affectus fuit igitur & arctiorem amicitiam initurus cum Rege videbatur, nisi hunc invida fata terris mox eripuissent. Quo mortuo, vt assiduam inter pares est discordiæ malum, *Sigefridus* Gothofredi nepos, simul *Amilo*, nepos & ipse *Herioldi* Danicæ olim Regis ad regnum adspirantes, cum vter regnare deberet, non conveniret, infestis animis concurrunt, tantoque ardore pugnatum est, vt ambos æmulos ferrum absumeret; cecidisse tum decem millia, non- gentos, quadraginta homines prodidere. Tamen *Amilonis* factio adepta victoriam *Haroldo* & *Ragenfrido* fratribus eius summam regni committunt. Hi recepto fratre *Hemmingo*, (qui forsitan præcedenti bello à Francis captus fuit,) pacem & amicitiam cum Imperatore pepigerunt, sedecim Danis primoribus illi conciliandæ submissis. Vix anno potentiam exercuerant, & repente *Gothofredi* filij cum multis Danorum proceribus, qui relicta patria jam dudum apud Sueones exulabant, sat magnas copias contrahunt, & confluentibus ad se velut Orientem solem popularium turmis, facili negotio victos prælio *Haroldum* & *Ragenfridum* fratres regio throno deijciunt, ipsique imperio potiuntur. Sic Dania ab externis bellis velut in viscera sua arma convertit, neq; CAROLO visum fuit, auxilium alterutri ferendo civilibus turbis se immiscere, præsertim quum *Saraceni* *Maurique* piratæ iterum maris inferi ac Italiæ tranquillitatem turbarent. Illi Sardinia & Corsicæque opibus ditæ, jam præda turgentes iterum Hispaniam repetierant, cum *Irmingarius*, Comes Emporitani, dispositis ad Baleares insulas copiis, octo naves eorum interceptit, & quingentos Sardonum servitute oppressos recuperavit. Quam cladem vindicaturi piratæ, nova classe Nicæam Provinciæ ac Centumcellam Italiæ adoriuntur, spoliant, incendunt, nec satiati duarum urbium excidio, Sardiniam rursus cursu petunt, non sacris neque profanis temperaturi. at Sardi hostes aliquoties victos lætis animis aggressi, magna cæde castigant, vt illi conscensis tumultuarie navibus ma-

LXXXI.

gno dedecore ab insula refugerunt. Tum vero bella ubiq. sepulta,
 pax revocata est: nihilq. voto concipi, nihil felicitate consumma-
 ri poterat, quod non CAROLUS Romanorum Imperator Au-
 gustus, pacatis late provincijs Europæo orbi repræsentavit. Sane
 imperij Francici gloria per cōtinuos quadragintaquatuor annos in
 tantum aucta est, ut illud pene duplo maius reddiderit CARO-
 LUS, quam à Patre Pipino acceperat. Antea enim ea tantum
 Gallix pars, quæ intra Rhenum & Ligerim, Oceanumque ac Ba-
 learicum mare jacet, & portio Germaniæ intra Saxoniam & Dâ-
 nubium posita, Rhenoque ac Sola, hic Thuringos à Sorabis divi-
 dit) flumimbus clausa, præterea Alemanni, Bojarique Francorum
 regno censebantur. Quis CAROLUS multas & magnas pro-
 vincias adjecit. In Galliis scil. Aquitaniam & Vasconiam. Hinc
 Pyrenæi montis jugum & fertilissimos Hispaniæ agros vsque ad
 Iberum, qui in extremis Navarrorum profluens, receptis minori-
 bus fluvijis tutgidior, secundo cursu sub vrbis Dertosa mœnia in
 Balearicum Mare devehitur. Postea Italiam totam, ab Augusta
 prætorum in Calabriam inferiorem, ubi Græcorum confinia fuere.
 tum Saxoniam duplo latiorē, quam erat reliqua Germania Fran-
 cis olim subjecta. Pannoniam similiter vtramq. & oppositam in
 altera Danubij ripa Hungariam, Istriam quoq; Liburniam ac Dal-
 matiam, exceptis maritimis, quæ ex fœdere Constantinopolitano
 Imperatori cedebant. Denique nationes barbaras inter Rhenum
 ac Vistulam, Danubiumque & Oceanum positas, ut lingua fere si-
 miles, ita moribus & habitu dissōnas, quas inter præcipui Velata-
 bi, vel Selavi, Sorabi, Abotriti atque Bohemi, quæis tributum à
 Francis imperatum est. Quamobrem in ipso victoriarum flore,

LXXXII.

nondum quidem consummata, sed matura jam & per terrarum or-
 bem se exerente eius gloria, CÆSARIS ac IMPERATORIS
 ROMANI nomen & honorem CAROLUS ille meruit. Tor-
 pebat oppressus Imperatorum sive ignavia, sive immoderata do-
 minatione Oriens, jacebatq; velut exhaustus aliarum gentium ra-
 pinis: jam Bulgari Thracesque partem imperij vellicabant, jam
 Saraceni & infames regnorum eversioibus Turcæ, subinde pul-
 cerrimi corporis membrum decerpabant. Imperij ipsius habena
 ut plurimum à talibus tractabantur, qui vel neglecto, vel secius

culto divino Numine impij, turbis ac dissensionibus domesticis in-
 visis, in ambiendo vel administrando principatu crudeles, aliquan-
 do nomine Imperatores, aetate pueri, moribus inculti, artium re-
 gnandi rudes, vel socordia tanto fastigio indigni fuerunt, aut qui
 capaces eius putarentur, nisi imperassent. Denique ad id ludibrium
 res devolvebatur, ut consumpta mascula prole mulier neque sexu
 neque prudentia ad Rēp. gerendam facta, imperiū teneret: hæc Irene
 nomine, primum quasi cum Constantino parvulo adhuc filio im-
 peraret, omne negotium sola expehebat, dein expletis decem po-
 tentiæ annis, ubi Constantinus se eludi, ac matrem pro arbitrio in
 imperio versari cerneret, operta legionum constanter ipsi adha-
 rentium, quanquam reluctante pro viribus femina, Imperium ad-
 sequitur: sed & ipse licentia regni mutatus, suspitionibus plus ju-
 sto indulget, & proceres quosdam velut affectatæ tyrannidis reos
 oculis multans, maximum odium sibi constat, inde victus à Bulgaris
 prælio, etiam in contemptam labitur. Quod perspicuens Irene
 calliditatis & impotentiae muliebris grande specimen edidit, &
 quasi non filio sed sibi deberetur imperium, corruptis auro proce-
 ribus, Constantinum insidiis excepit, captumque & privatum lu-
 minibus principatus dejecit, eoque fati concedente secunda aliquan-
 diu potestatem exercuit. Itaque Romani à quadringentis & plu-
 ribus annis capite suo destituti, nec jam Romanum, (cui tamen
 vrbi nomen & potentiam omnes debebant,) sed Græcum habentes
 Imperatorem, cum primus *Constantinus* à rerum successu *Magnus*
 sedem & splendorem Imperij mutasset, & succedentes ordine Im-
 peratores vel partito inter se honore alius Occidenti, Orienti alius
 præsideret, vel antiquo Majestatis nomine insuper habito, ubi vis
Constantinopolitani *Cæsares* & *Græci* vocarentur, rei indignitate com-
 moti, quasi verò Romanæ majestatis auspicia peregrinis vocabulis
 essent obscuranda, aut ille Imperator, quem ipsi olim ad vrbis Ro-
 mæ dignitatem, & hoc nomine ad Imperij Romani tutelam, pri-
 mum regnare passi sunt, & hætenus creaverunt, in alienis ac lon-
 ge distitis oris, ubi vix auxilium eius impetrari posset, habitare de-
 beret, aut denique, quod à primis tantæ potestatis initijs num-
 quam accidisset, vanissimi ingenij feminæ imperium esset com-
 mittendum. anno qui à Christi redemptoris triumpho, felici Reip.
 omine

omine post octingentelimum primus numerabatur, Carolum Francorum ac Langobardorum Regem, in cuius verba jam ante iuraverant, ob causam Pontificis cognoscendam Romam ingressum, & tunc forte Numinis sanctissimi aris adstantem, vnanimi suffragio applausuque solemnī Romanorum Imperatorem ac Cæsarem renunciant, simulq; Pontificis manu corona & insignibus Imperij decorant. Hinc mos inolevit, vt Imperatores Occidentis ab Romanis Pontificibus acciperent coronas; & Leo quidem III. coronatum ita Imperatorem Carolum, (verba sunt *Adelmi Benedictini*, illius temporis coevi) *antiquorum more principum adoravit*, memor quantum illi deberet Patrono ac Domino: sed successores eius vice versa Cæsares ad pedum suorum oscula detraxerunt. Tum verò videres quanta lætitia longe lateque Christianus orbis effunderetur. Populus Rom. recenti Domino suo his vocibus adplauderetur, CAROLO AUGUSTO, à DEO CORONATO, MAGNO & PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM VITA & VICTORIA. Statuæ eius ante arā D. Petri collocatz, præeuntes capite nudo genua submittebant. Hic enim Imperatorum imaginibus honor olim deferebatur. Ipse Augustus vna cum Pipino filio, ab acie argenteam & diversa ex auro purissimo vasa ad vsum abaci templo Vaticano obtulit; Lateranensi vero crucem eximiam, ex Hyacinthorum gemmis constatam, quam Leo in supplicationibus præferri, CAROLO obsequutus instituit. Cum deinde templa circumiret, effusæ in publicum virgines matronæque ac pueri contineri non poterant, quo minus propius adire, salutare, contingere conarentur, certatim ruebat, crescebatque semper turba. Numus procul sparsus in vulgus, & tandem multitudo divisa in areas, ædesque sacras, vbi in conspectum se oculis omnium daturus erat, ac sui adpellandi dextræque contingendæ facturus copiam. Tunc ab omnibus repetita, eius in Ecclesiam & Christianum orbem beneficia, laudata pietas, commendata liberalitas, prædicata fortitudo, potentia, iustitia, clementia, & in vno homine virtutum summa celebrata est. Cæterum misere falluntur, qui maximam hoc fastigium potestate Pontificis in CAROLO M. translatum arbitrantur. Id primum scimus atq; agnoscimus omnes, in solius DEI non Pontificis manibus situm esse,

LXXXIIII.

transfere regna. Iam vero certum est, neminem tribuere ab ipse, cuius potestatem ipse non habuit. Nisi igitur demonstrent Pontificiæ sedis admiratores an adulatores dicant, jus Rom. Imperij penes Pontificem fuisse, vel certe habuisse illum à DEO aut legitimo magistratu mandatum, nunquam nobis fidem facient, à Pontifice Romano datum esse CAROLO imperium. Et Leonem III. tantam tunc habuisse potestatem quomodo probent? Hoc satis in confesso est, & consentientibus verbis Scriptores loquuntur, ipsum illum Leonem inimicorum acerbitate pressum, vulneribus & ærumnis deformatum, inopem extorremque confugisse ad CAROLUM, ut aliena operæ dignitati suæ restitueretur; propterea qui beneficio CAROLI omnes fortunas suas numeravit, cur major fuit eo, per quem tantam eminentiam recepit? aut cur potestatem largiri potest illis, quæ ipsæ suam debet. Frustra insuper desudant, quando sacri officij auctoritate Pontifici abire regnis atque imperijs spoliare Reges atque Imperatores, eaque ad alios ab alijs transferre contendunt; nam si vel maxime in Christianæ Ecclesiæ membra curam aut potestatem talem habuisset, (qualem nunquam habuisse neque nobis nunc exequendum est, & segregata DEI immortali clementia à Pontificis sedibus Ecclesia purior prædem agnovit,) quis dependere ab illa civile in omnia regimen certis innixus argumentis docebit? Sane Christus vnicus ille & verus & summus, & post quem in terris nullus fuit Pontifex, hanc doctrinam suo exemplo non approbavit, ille magistrati suo, ille Imperatori obediens, etiam more subditorum vestigial persolvere non dubitavit. Ante Phocam autem exitio Imperij, & Bonifacium III. malè Ecclesiæ natos Tyrannos, quis nescit Antistes sacros Imperatoribus adhuc paruisse, licet vergente in deteriora mundi senectute ista jam elangueret obedientia. Si exemplis opus esset, facillime ostenderemus, tam arrogantes homines gravissimè suam contumaciam, immixtis à Deo pœnis luisse. Monstrum illud & excrementum naturæ Hildebrandus, Henricum IV. Imperio dejecturus, cum audacissima impietate, Rodolphum Sueviz Ducem ad summam potestatem evahere conaretur, in se pariter ac illum Iustissimi Numinis vindictam excivit. Ac Rodolphus quidem prælio occisus est, ea manu qua fidem Imperatori jura-

paraverat, amissa, Hildebrandus Roma eiectus in exilio diem obiit. Et quid verbis opusest, legantisti papalium aurium adsentatores doctores suos, suæ religionis viros, *Dualliosque & Lupatos* involvant, ac deinde quid Pontifici juris in civilibus super sit, severa æstimatione pensent. Equidem si Pontificam mentem & arcana in hoc negotio spectemus, deprehendemus scilicet, eos excusso Græcorum Imperatorum jugo libentius Francos Angusteo apice exornatos adspexisse, ut mox quasi beneficiû ipsi dedissent, horum quoq; effugerent imperiû, ac soluco omnis obedientiæ vinculo liberrimo jure vterentur. Neque corona manu Leonis Carolo imposta facit, ut Imperator potestatem suam Pontifici debeat: quippe coronatio non tribuit imperium, sed tributi & assignati signum est. Adhæc Pontifex non sua autoritate, sed populi Romani jussu atque decreto coronæ CAROLUM rediuvit. Munisterio igitur Papæ, consensu Romanorum Imperator declaratus est. Et quod primo loco dicendum fuerat, Romani exemplo à prioribus repetito Imperatorem sibi fecerunt. Videlicet ex quo vnius principatu in orbem crevit, ac Cæsares diuturnitate temporis seu fato potius firmarunt potentiam, semper à Senatu populoque Rom. lecti sunt. Quamvis etiam milites, (qui plerunque contemplati frequentiam suam à disciplina desciscunt, & quod cogere se putant posse, rogare non sustinent,) aliquando illud ius creptum irent Senatui, & è suo corpore, aut certe arbitrio suo Imperatorem designarent, nunquam tamen Pontificis Maximi aliquæ in electione partes fuere. Qua fronte igitur Papa sibi arrogarit eam potestatem, quam Senatus modo vsurpavit? Huc accedit, quod CAROLUS Italiam jure belli possidens, iustissime titulo Rom. Imperatoris frui possit, ac deberet. Cui enim Constantinopolitani Cæsares nomen Romanorum sibi vindicarent, qui jam pridem Italiae dominio exciderant. Majestatem autem Imperij noluit obfuscarî Deus Ter Opt. Max. quamobrem partæ jam à CAROLO potentia hoc velut pondus addidit. Denique consensu Imperatorum Orientis, atque legationibus vtridetroque missis, satis declaratum est, non vana Pontificis voluntate, sed suffragio Irenes & Nicephori Imperium Romanum sive Occidentis CAROLO firmatum esse, id quod & antea monuimus, & postea exequemur.

LXXXV

Licebit hac occasione veritatem prædictionis Danieliticæ admirari, qui stupendi illius Nabuchodonosori oblati somnij arcana evoluturus, nunciaverat fore, ut pedes illius imaginis, cuius magnitudine ac diversa membrorum natura quatuor summa regna adumbrabantur, ferro & luto commiscerentur. Illos videlicet pedes, qui Romanorum Imperium denotabant, segnitia Græcorum Principum ac feritate gentium externarum valde hæcenus infirmatos & vere luteos fuisse satis constat: postquam autem CAROLUS Imperator Augustus salutatus est, subito Christianæ provinciæ barbarorum insultibus pressæ respiravetant, & pedes quæis imperium nitebatur, suum recipere vigorem, ut ex luteis ferrei de novo facti sint, & hac vicissitudine divini spiritus calor in Daniele certius adparuerit. Ab eo igitur tempore Francos Imperio & Roma potius potitos *Zonaras* etiam agnoscit. Quo nomine fortunæ mutationes, ac dubios rerum humanarum casus mirari quis satis queat? quis non diversa præsentibus contrariæque expectatis aut speret aut timeat? Iustiniani illius legum & imperij vindicis temporibus Franci Italiam invaserant, & hostili impetu per istas regiones erant grassati. Postea ubi Leo Isaurus suscepit imperij fasces, Gregorius II Papa ab Imperatore tanquam impio defecit, pacemque cum Francis pepigit: tunc Irene & Constantino imperantibus Leo Pontifex Romam quoque, Francos admisit, sic ut cum Italia urbem ipsam sibi vindicarent. Quis tum fuerit orbis status, qui gentium concursus, quæ vota videndi aut literis compellendi CAROLUM, in illo Romani Imperij novo flore ac magnitudine, legationibus undique imminentibus mox declaratum est. Prima certe Irene quamvis, ceu videbatur, non tam de amicitia CAROLI quam de Imperio suo sollicita, legatos fœderis pangendi gratia ad eum misit. Quibus benigne auditis Iesseum Ambianensem Antistitem & Helmogaudum Comitem Francum adjunxit, ut vna Constantinopolim profecti amicitiam confirmarent. Sed commorantibus illic Oratoribus Francicis novo motu urbs & imperium Orientis concrepuit. Nam impotenter hæcenus usam principali fastigio Irenen, Nicephorus optimatum quorundam fraude imperio deturbavit, demotamque à gubernaculis in Lesbum insulam relegavit, ubi adpositis custodibus tam arcte habuit

habuit miseram, ut mœore contabesceret, actis potentiaë annis
 xxxiii. Causam tantæ mutationis præcipuam fuisse aliquid contem-
 dunt, quod Nicephorus inter CAROLUM & Irenen de nuptijs
 agi, atq; vniendis per hocce connubium imperijs consilia miseri
 comperisset, credens finem suæ potestati futurum, si Romanus Im-
 perator vltra Italiam & mare Græcum conjugem affectaret. Quam-
 obrem crebris quoq; sermonibus Græcum versiculum vsurpabat,
 ὁ ἐὶς γὰρ οὐρανὸν ἔρχηται, γαίτονα δὲ ἔρχηται, quo CAROLUM videm pro
 amico, neutiquam pro vicino sibi placere declarabat. Ne tamen
 omnem amicitiam respuere videretur, posteriore anno legatos in
 Germaniam misit, qui cum CAROLO tunc forte ad Saliam am-
 nem castra habentem fœdus erigerent, idq; in has condiciones
 percussus est, ut alter Occidentem alter Orientem Augusti fratresq; essent,
 & adpellarentur, prout supra cum de bello Veneto ageremus expo-
 suimus. Octo dein interpositis annis, sedato nempe belli Veneti
 turbine pax renovata est, Arsaphio spathario ex parte Nicephori,
 Hattonè Basileensi Episcopo & Hugone Franco Comite ex parte
 CAROLI eam conciliantibus. Non multo post Nicephorus
 damnum è Crunno Bulgarorum rege illatum vindicaturus in ta-
 bernaculo suo perimitur. Crunus direptis stipendijs à Nicepho-
 ro submissis exercitui, occupataq; Sardica, multa millia hominum
 occiderat, sed quum Cæsaris iram vereretur graviores, nulla ra-
 tione aut legibus eum ad pacem flectere valuit. Tunc à precibus
 ad vim conversus, Imperatorem vastationibus agrorum & victo-
 rij aliquot securum, nocturna invasione prosternit, copias eius
 occisione cædit, deprædatur castra, & trucidati Imperatoris caput
 ligno figi, & exponi ostentui curat. Igitur Michael Europarum Ni-
 cephoro, cuius forotem in matrimonio habebat, susceptus, Orato-
 res CAROLI honorificentissimè suscepit atq; dimisit. Simul
 cum illis Michaelèm Episcopum, Arsaphium nec non Theognu-
 stum prothospatharios, (quos vocant,) ad Augustum Francorum
 contendere iussit pacemq; à Nicephoro cœptam stabilire. Grata
 Carolo legatio fuit, præcipue cum se Michaelis literis Imperatorem
 & Græco vocabulo βασιλία salutari cerneret. Neq; verò Michael
 diu Orientem ræxit, quin itidem cum Crunno infeliciter confi-
 gens, ac fugatus vitam solitariam principalibus curis præposuit, &
 locum

locum in imperio Leoni, viro prudenti, rebusq. gerendis strenuo fecit, qui vno ante CAROLI mortem anno fœdus etiam redintegravit. Et hanc quidem cum Græcis Imperatoribus amicitiam facile admittit CAROLUS, & constantissime retinuit. Cæterum longe remotiores oras gestorum suorum fama impleverat, & ex incimo Orientis recessu Aaron Persarum Rex in venerationem ejus adductus est. Quod hac ferme occasione contigit. Ultimo septimi seculi Christi anno Augustus totius terrarum orbis pacem animo complexus, Zachariam Sacerdotem Hierosolyma ablegavit, ut è Patriarcha, (quem vocant illius loci Reip. Christianæ statum, & Christianorum illic degentium fortunam cognosceret; Cum eo Lanfredum & Sigismundum nobiles Francorum, nec non Isaacum gente religioneque Hebræum, Persicæ linguæ peritum ire jussit, ut speculati prius Africam Aaronem Persicæ Regem suo nomine salutarent. Et Zacharias quidem Sacerdos cum monachis aliquot octingentesimo anno redux, tolerabilem Christianorum conditionem visus est de latere allatis muneribus quibusdam pijs magis quam magnificis, clavibus videl. Sacrosancti sepulcri ac Calvarij montis vexillo simul nuntiabat affore mox legatos Persarum Regis, & munera etiam ex Africa. Neque sefellit opilio. Circa ipsum illud tempus, quo Imperator Augustus summi fastigij honore cumulatus est, duo legati ab Aarone venerunt, alter Persarum nobilissimus, Saracenus alter, limiti Ægypti præfectus. hique studio & officijs Regis sui erga Imperatorem expositis, varia dona, opes ac delicias Persicæ gentis attulerunt, simtas, cercopithæcos, nardum, opobalsamum, & odora menta alia externa: in primis elephantem qui adhuc in via esset, ac per Isaacum Hebræum adveheretur, nomine Aaronis CAROLO commendarunt: cujus videndi cupidine tactus, ad Liguriam naves fabricari præcepit, quæ si ludæus cum stupendo animali reciperetur. Ergo sequenti anno ad Pisanum portum expositus Elephas vix oculos satiare Francorum poterat, adeo res incognita & magnitudo feræ, & solertia inter brutorum naturam maximè emicans, eos affecerat. E legatis solus Isaacus reverterat, Sigismundo Lanfredoque sive longinqui torridique cœli insolentia, sive nunquam fido inter nostros Hebræosque collegio, defunctis. Illius Elephantis,

cui

cui *Abulabaz* nomen fecerant, spectaculo per annos octo fruebatur Carolus, donec eum in Saxonia, forte rigidioris cœli inclementia amisit. Eodem tempore, velut æmulatione excitatus *Abramius* Barbaricæ Africanæ Rex oratores ac munera, Leonem *Marmaticum*. vrsûm *Numidicum*, Tyrium muricem, peculiare *Ægypti* Africæq; opes, ad Imperatorem destinavit. ea legatio, quod Ipeculandi potius quam amicitia causa venisse videretur, quamquam non sine muneribus & benigno responso statim dimissa est. Sexennium deinde à Persarum salutatione abjerat, cum Aaron cœptam amicitiam per *Abdellam* firmavit, & CAROLO pretiosissima dona *Aquisgranum* ad luci iussit. Erant autem candelabrum ex orichalco, haud modicæ magnitudinis, tentorium byssinum, pallia serica, cum aromatis ac balsamo: in omnibus eminebat horologium ex orichalco artificiosè structum. Duodecim globuli inerant, quorum singulis ad præterlabentis horæ terminum in subjectam campanulam excidentibus, temporis ratio signabatur. Equites quoq; pari numero exornabant opus, qui ad quamq; horam singuli ex fenestra prodibant, & in horarium regressi finem horæ nunciabant. Omni honore Oratores culti, ac discedentibus *Aquisgrano* adjuncti sunt præcipuis Francorum viri, qui Imperatoris nomine Aaroni munera perferrent. Equi *Astoriani* & *Hispanici* molito gradu incedentes, item *Frisia* vestimenta, albedine sua nitentia, canesq; venatici, quorum odora vis adeo feris infesta est, vt dentes prius moribundi in corporibus ferarum, quam ipsas relinquant, in donum Persico regi legebantur. Quæ vbi ille accepit, delectatus generositate equorum, tamque jucundo canum spectaculo, maxime felicem CAROLUM cū Germanis prædicavit, qui huiusmodi venationibus ac exercitijs vires durarent, inque eam corporum atq; animi magnitudinem excrescerent, vt merito tartarum imperium possiderent. Igitur quo animum Christianis cupientissimum declararet, *Palæstinam* singularibus olim DEI operibus honoratam regionem, neq; tunc sive antiquæ celebritatis veneratione, sive Christianæ gentis sedibus minus illustrem, cui tum jura dabat, CAROLI imperio subjecit; sed quia remotior erat, quam vt CAROLUS præsidibus eam suis tuto regendam committeret, ipse quidem præfectum pro-

vinciarum dedit, verum omnes redditus, emolumenta, fructus, per Questorem ad Imperatoris usum transmitti voluit. Hinc sæpius legati ac Monachi vltro citroque commebant, & incolæ velut in ipso Ecclesiæ gremio sederent molliter habiti sunt. Eares fabulis postmodum elata est. Quidam enim Scriptores Imperatorem trajecisse æquor, & armata manu Palestinam recuperasse tradunt, certiores nihil tale habent, sed quicquid Imperatori juris obigit, Aaronis magnificentiam tribuunt. Id Eginhardi testimonio constat, Aaronem omnes sui temporis Reges amicitiam CAROLI posthabuisse, quemadmodum & Adelfonsus Galliciarum Rex, (cui auxilia contra barbaros submissa superius exposuimus) tanto honore eum coluit, ut non aliter quam proprium ejus adpellari vellet. Scotorum vero Reges in literis tanquam dominum compellabant, seque seruos ejus ac subditos profitebantur. In gestis Anglorum quæ incerto Authore circumferuntur reperio literas, quæ fœdus inter Carolum nostrum & Offam Angliæ Merciorum Regem confirmatur, simulque Anglis religionis gratia proficiscentibus liber ac immunis à vectigalibus com meatus per omnes Francorum provincias conceditur, cæteris autem negotiatoribus, ut tuto ac nemine prohibente rebus suis incumbere, mercaturamque exercere possint. Tali modo apud exteros maiestate propagata, nihil interea domi, quæcunque ad exornandam imperij maiestatem faciebant, reliquit. Præcipue in publica opera magnos sumtus fecit. Aquisgrani templum magnificentissimum in honorem B. Virginis Mariæ ædificavit, ad cuius structuram cum aliunde habere non posset, columnas & marmora Roma atque Ravenna advehi præcepit, sic instauratam cancellis ac januis è solido ære fabricatis illustravit, auroque, argento & luminaribus ornatissimam reddidit. Hanc Leo Pontifex, dum erat in Germania, consuetis ceremonijs inauguravit. Budæ etiam, quod ante indicavimus, ad memoriam devictæ gentis Hunnorum ædem sacram erexit. Prope Moguntiam ubi Rhenus quingentos passus latus est, flumen ligneo ponte stravit, cui extruendo decem anni cesserunt: neque tamen aliquod tanti laboris emolumentum consecutus est, quum vno, qui obitum ejus præcedebat anno, subito igne totus conflagraverit, quanquam pro ligneo ponte lapideum substituere cogitabat, nisi mors consilia interrupisset.

Molitus est etiam duo regalis magnificentiæ palatia, vnum Ingel-
 hemi, vnde originem suam traxit, alterum Noviomagi, qua Vaha-
 lis vñdæ præterlabuntur, sed ea penitus perfecta non sunt. Præci-
 pue tamen ædes sacras, vbi cunq; vetustate collapsas comperit, per
 Episcopos & Abbates, ad quorum curam pertinebant, restaurari
 iussit, vsus legatorum opera, qui rem strenue vrgerent. Bello Pan-
 nonico maximæ molis opus aggressus est. Persuasus enim à qui-
 busdam, *hominum labore effici posse, vt à Danubio in Rhenum navigaretur,*
 si inter Rhedonessum & Alemannum fluuios Nariscorum fos-
 sa duceretur, terram vligine palustri madentem facile daturam a-
 quas, quæ vtriq; flumini committerentur. Nam Rhedonessus Bam-
 bergæ Mœno, & hic Rheno Moguntiaci miscetur: Alemannus
 autem in Danubium devolvitur. Igitur CAROLI iussu maximus
 Francorum, Bojorum, Suevonumq; numerus cogitur, qui fossam
 trecentos pedes latam, duo millia passuum longam pararent. To-
 tum autumnus tempus tam præclaro conatu absumptum est, sed
 fortuna non favit labori, cœlumq; ipsum prodigijs iram naturæ o-
 stendit. Immensi frumentorum acervi, memorante *Aventino,* & o-
 mnis generis granorum reperti in campis, quæ si pecus gustasset,
 protinus concidebat si homines vsui suo præparare vellent, farina
 sub manibus evanescebat. Noctibus auditæ sunt voces mugien-
 tium & lascipientium, confusi circa superiorem fossam strepitus.
 Accedebant imbres, in loco per se palustri, ideo quicquid terræ in-
 terdiu egerebatur, noctu humo relabente subsidebat. Sic vana fuit
 omnis industria, prorsus quasi DEUS testatum cuperet, fines quos
 ipse terris ac fluminibus posuisset, nullis mortalium viribus trans-
 ferri aut mutari posse. Italiam maiestatis Imperatoris sedem ma-
 xime excoluit, eiusq; amplitudinem Pipino filio dum viveret, com-
 mendavit. Cuius rei illustre exemplum Florentiæ dedit. Hanc ce-
 leberrimam olim Etruriæ urbem, iniquitate temporum desertam
 ac civibus orbatam, cum postremò Italiam invisit, restituit, & va-
 riis modis ad maiora incrementa produxit. Tam splendidum im-
 perij corpus, ne velut soluta compage disflueret, firmissimo legum
 vinculo continere statuit. Ante omnia quæ religionem & res
 sacras concernebant, egregie disposuit. Sacra volumina h. e. vni-
 versum Veteris ac Novi Testamenti codicem, libratorum insci-

LXXXIX.

tia, segnitie lectorum, imperitia interpretum, incuria seculorum
 depravatos adamussim & veritatis fontem correxerit. Extare decre-
 tam ejus publicum *Goldastus ex Aventino* meminit, neq; permisit in
 divinis lectionibus, durante sacro ministerio, inconditos solœcis-
 mos & barbarismos obstrepere. id opus Albino mandatum est,
 atq; editionis huius exemplar *Baronius* ad manus se habuisse testa-
 tur. Ad sectanda divini spiritus oracula, Christi q; servatoris vnici
 placita, vniverfos sine discrimine coëgit. Memoriam sanctorum,
 qui pro incorrupto DEI honore exquisitos cruciatus sustinuerūt,
 & à crudelissimis Christianæ fidei persecutoribus extincti sunt,
 summa industria colligi, & ex antiquis Ecclesiæ Patribus recenseri
 iussit, quo in publicis cultus divini festivitatis prælegerentur.
 Legendi canendiq; ut peritissimus erat, sic carmina & cantiones
 sacras, queis DEUM placari nobis credimus, opera *Pauli Warne-
 fridi* edidit, quos institutum hodieq; in templis viget. Pello Bene-
 ventano quum Romæ inter Gallos & Romanos disceptatio obor-
 ta esset, veri accuratiore sono cantilenas sacras modularentur, ipse
 Romanis palmam tribuit, ac peritissimos artis secum in Galliam
 avexit. Festos solennesq; dies, sive Christi nativitas, sive resurgen-
 tis triumphus, sive cœlestis ad patrem transitus, sive sanctissimi spi-
 ritus in Legatis suis divino igne repletis efficacia celebraretur,
 summa reverentia coluit; neque minus Joannis Christi præcurso-
 ris, Divorumq; Petri ac Pauli, & quos olim Christiano cœtui colli-
 gendo DEUS viros sanctos destinavit, memoriam veneratus est.
 Exoptanti aliquando duodecim *Augustinos* atq; *Hieronymos* præce-
 ptor *Alcivius* respondit, Tu vero, Rex, vna vice tot habere deside-
 ras, quorum tamen Divina Majestas centum annis vix duobus vsa
 est. Sacerdotibus serio injunxit, ut diligenter literis operam da-
 rent, pure ac emendate scriberent, & publice in templo munere
 erudiendi plebem fungerentur, itemq; avaritiam, gulam, caupo-
 nas, negotia profana, mulierum commercia vitarent, aut neglectis
 hisce, sacerdotio cederent, tribuè moverentur. Controversias ab
 Episcopis semel dijudicatas non permisit retractari. De cætero no-
 vas leges parcissime tulit. CLXVIII capita sive regulas, ad forman-
 dam in justum ordinem disciplinam sacram, è concilijs Patrum jus-
 sit adornari, admoquitq; Episcopos, ut ne latam vnguem à decretis
 illis.

istis recederent, sed quantum in viribus esset, studiosè illa conser-
 uarent. Mandavit etiam per literas Pipino filio Ita iæ Regi, sacer-
 dotes ab oneribus varijs, queis sub Langobardorum regno preme-
 bantur, immunes præstaret, earum exemplum *Sigonius lib. quarto hi-
 storiarum* recitat. Plures ducatus, præfecturas, sacerdotia nulli
 commisit, etiam alios sibi beneficijs devinciendos esse dictitans.
 In Episcoporum Senatum haud temere quempiam adscivit, nisi
 prius probitatem ac eruditionem ejus explorasset. Incognitos aut
 quos antea non probatos haberet, ad tantum munus non extulit,
 luxuriæ, avaritiæ, ambitioni deditos removit, neq; voti sui com-
 potes fecit. Hildegardi Reginæ pro sacrificulo suo intercedenti,
 idoneo, respondit, etsi pauperi destinavi, Imperatorem mentiri,
 aut fallere neutiquam decet: nec immortalis DEO obtrudendus
 est talis Episcopus, cujus vitam, mores, & tantone oneri par sit, i-
 gnoramus. Episcopum Moguntinum, quod crucem auream, distin-
 ctam gemmis gestaret, severissima oratione coercuit: eidem ava-
 ritiam & superbiam pro concione exprobravit, indignabundus &
 clamitans, En, ait, pastores nostros crucem Christi profectos, qui
 sprete cura, & pascendarum ovium sollicitudine, ostentatione, opi-
 bus, luxu, Imperatorem opulentissimum lacesant. Quendam pri-
 die festarum D. Martini designatum Episcopum, quod is auctus
 tanta dignitate amicis cœnam exhibuisset, ac uti sit mero se ni-
 mium onerans, somno deinde oppressus, noctu divinis rebus non
 interfuisset, rursus sacerdotio movit; negligentem & intolerabi-
 lem fore ratus, qui vel primo die Numinis iram effugere non pos-
 set. Alum itidem accepta dignitate gestientem, & ab humo in
 equum sine suppedaneo, vno impetu insipientem revocavit, va-
 les, inquiens, ut video, viribus, & eques es haud contemnendus:
 tuam operam in bellis, vbi virtus entescat, præstabis, proinde i-
 gnobili & corpore minus valido gregem Christi pascendum re-
 linque. Patrum conventus de corrigendo Ecclesiæ statu quinque
 locis instituit, Rhemis, Moguntiaci, Cabiloni, Arelate, Turoni.
 His cætera oppida contributa, & vnumquodque juris potiundi
 gratia finitimum sibi conventum petere iustum est, ita solutos sa-
 cerdotum mores ad frugem antiquitatisque æmulationem reduci
 posse speraverat. Sancivit porro, ut in primaria cuiusque regio-

nis vrbe, quam *Metropolim* Græca voce dicunt, pontifex, & prætor ter quotannis, Aprili nimirum, Octobri, ac Ianuario ius dicerent, responsa redderent, & primum pauperes, viduas, pupillos, dato his prudentissimo patrono, diligentissime audirent, reconciliarent inimicos. Lites in diem ne differrent vetuit, neve calumnijs locum facerent. Opulentos quidem ac locupletes, Antistites, Præfectos, si forte animos concordia jungere nollent, ad se delegarent. Huic iudicum labori certos sumtus definitiv, quotidie Pontifici quadraginta panes, gallinastres, porcellum unum, ova quindecim, in potum modios tres, equis totidem à venarum modios: Prætori panes triginta, modios duos, cætera tantundem statuit. Vetustissimæ Francorum legi *Salica* capitâ quædam addidit, alia cortexit. *Lex* autem *Salica*, *prædia salica*, *clientes salici*, dicebantur, quæ ad aulam spectabant, hinc *Salicus codex*, qui nobis hodieq; Salbuch est, emanavit, vbi regis impensæ, vectigalia, & prædiorum reditus describebantur. Igitur de monetis, mensura, ponderibus, vt per omnes Romani Imperij oras ad æqualitatem redigerentur, sanxit, easque constitutiones legi *Salicæ* addidit. Nationum omnium quas imperio suo regebat, jura quæ lucem nondum viderant perscribi ac literis mandari, curavit. Barbara & antiquissima carmina, quæ priorum Regum res gestæ celebrabantur, jussu suo in vnum conducta, memoria comprehendit. Disciplinam militarem severius exercuit. Militibus, qui strenue rem gesserant præmia constituit, negligentes notavit ignominia, vt & laborem debito honore pensaret, & ostenderet, se non minus quam hostem metui debere. Fremente Saxonico bello, cum duo gregarij milites, facta testudine munitissimæ vrbis aggeres petrupissent, ac confregissent portas, pro concione ambos laudavit, ac præfecturam ipsis inter Rhenum Alpesq; concessit. In eadem expeditione tyrones duos, licet vulgo conceptos, fortiter in medios hostes inuictos, cubiculariorum suorum numero adscivit. Duorum regulorum filij adolescentes, jussi stationes noctu servare, quod vino largius æquo indulserant, somno gravi opprimuntur: CAROLUS vt consuetudo ejus ferebat, evigilat, ac media nocte, cum paucis circuit castra, exploraturus num omnia decenti ordine gerantur. Ubi somno sepultos offendit, præterit quidem, & ad tabernaculum redit. Postridie ta-

men advocato concilio sciscitatur, quidnam illi commereuissent, qui Principem & caput Francorum manibus hostiam exposuissent. Isti, cum primum sententiam rogati essent, immemores heretice culpæ suo met voto sese condemnant, ac hominem capitali pœna afficiendum censent. Ergo Imperator graviter increpitos ignominiaq; notatos exauthorat, cæterum incolumes dimittit. Milites datis nominibus sacramento adacti in ejus verba juraverunt, se illi secundum D E U M deuotissimos fore, neque pro eius ac Reip. salute mortem recusaturos. Facientibus iter nihil præter ligna, herbam, aquam licuit auferre, nemini pullum aut ovem aut tale quid rapere tutum fuit, tanta modestia transire agros coëgit, ut non modo manus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse deprehenderetur. Ebrietatem audaciz ac securitatis præcipue ministram summo studio prohibuit, si quem vino superatum offendiisset, postea per omne tempus aquam potare compulit. In eos, qui absq; missione signa atque militiam deseruissent, capitali pœna animadvertit. Munia bellica detrectantes prædijs, villis, agris, donisq; militaribus privavit, & ad alios illa transtulit. Qui verò morbo aut senectute à malitia liberabantur, certam æris summam pependerit, hunc enim censum accuratissime exegit, quem Germanicis vocabulis *Herschuld* / & *Herbann* ab exercitu, vulgus *Kaisgeld* ab expeditione nuncupavit. Censum (*Künigensteuer* & *Sahnlehen* vocant) quinque denarijs constantem modius frumenti quotannis exæquabat. Et ut salubrem magis quàm ambiciosum Principem scires, ne templis quidem onera atq; æs militare, cum his veluti nervis Resp. seruetur, condonavit. Descriptas autem omnium imperij, præfectorum, præsidum, populorum, familiarum, & in censum relatas habebat opes, is verò agros, prata, villas, molas, vestigalia, redditus similes, item iumenta, pecudes, mancipia, supellestem continebat, hinc quantum singulæ vrbes numero militum quantum pecunia valerent, clare elucebat, neque viritim, sed pro habitu pecuniarum cuiq; arma, ferramenta, æs imperabatur, sic ut onera fere à pauperibus ad dices reclinarentur. Quo facto Servium Tullium æquasse mihi videtur, qui primus, tam salutatis exempli auctor, maximum emolumentum generi humano præstitit, ut pro patrimonij, dignitatis, ætatis, artium offi-

XCI.

officiorumq; discrimine, quisq; tributū in bonum publicum conferret. Sanxit & alia quæ ornamento pacis, splendori ac ordini per imperium inservirent. Mendicis vagantibus quicquam tribui vetuit, alendos esse vnicuiq; regioni inopes suos dicitans: sanos quidem ac validos labore victum quærere, ac desiderio sufficere manus iussit: Porro opes sacris vsibus destinatas in locupletioribus templis in tres partes distinxit, duas egenis, tertiam sacerdotibus permisit. In ædibus tenuioribus donaria æqua lance inter pauperes ac sacerdotes partitus est. Nundinas diebus festis ademit, ne quos veneranda antiquitas honori divino destinasset, pessima immutatione hominum commercio cederent. Ebrietatem & detestandum illum morem, quo dum aliorum salutem bibendo colere putamus, nostram perdimus, ut militibus, ita cuiuscunque ordinis conditionis, sexus hominibus severissime interdixit, vitiorum matrem penitus extirpare adlaborans. Fures homicidas & huiusmodi crimina committentes, si ad asylum, templumve fuga delapsi forent, repeti aut vi extorqueri voluit. Quod si quis sacerdotum, Antistitum, sive Præfectorum reddere illos recusabant, de satisfactione damni caveret, ac juramento confirmaret, si quispiam aufugisset, id sua opera factum non esse. Edixit insuper nescio pietate an prudentia maiore, ut quando fames, pestilentia, clades sævirent in homines, aut inclemens sædoque torpore corruptus aër premeret terras, non expectatis decretis suis subditi statim ad clementissimi Numinis auxilium confugerent, ejusque misericordiam supplicibus elicerent votis. Præsertim si victus inopia & fame vrgerentur, quisque pro virili alimoniam suis procuraret, ac diligenter caveretur, ne intolerando pretio annona veniret, aut extra Imperij limites distraheretur. Ipse jus summo studio dixit, sæpius mane dum indueretur, tanta apud eum temporis iactura erat: simul ministris aulæ, quicquid eo die expediendū foret, injunxit. Uno per omnes septimanas die præsens causas dijudicavit, non tamen promiscuè eas cognoscebat neq; aliàs ad ipsum provocabatur, nisi cum populus injusta iudicum ordinariorum sententiâ se gravatum putaret, aut res iudicio eorum major existeret, prout declaratur constitutione illa, quam *Lipsius* in librum secundum præceptorum civilium retulit. Devictis Langobardis non defuerunt, qui

qui CAROLI O suaderent, vt omne nomen Langobardorum in Italia extirparet, fecissetque fortassis vltro, ad subtrahendam no-
 vorum motuum materiem, nisi inuidiam Italicæ gentis veritus fuis-
 set. Erant namque Italicæ genti longa consuetudine adeo inue-
 xi, vt indiscrete propemodum viverent, præsertim in his vrbi-
 bus, quæ sub ipsius gentis imperio per annos 100. & amplius
 fuerant. Igitur administrandarum rerum facultate adempta, nihil
 acerbius in eos statuit, ac tantum leges novas ad edita Lango-
 bardorum, quas præsens vsus desiderare videbatur, adiunxit. Men-
 ses totius anni & ventorum plerosque patriis, h. e. Germanicis vo-
 cabulis insigniuit, cum antea non amplius quam quatuor vento-
 rum nomina Germanico sono frequentarentur. Et Ianuarium
 quidem *Wintermonat* / Martium *Lenhmonat* / Aprilem *Ostermonat* /
 Novembrem, *Herbstmonat* / Decembrem, *Heiligmonat* / vocavit,
 cætera apud *Eginbardum* reperies, nec operæpretium fuerit, singu-
 la huc transferte. Tentavit etiam Grammaticam attem patrio
 sermone introducere, nec tamen perfecit. Quoniam qualis in
 imperio ac regnis, regendaq; per orbem terrarum pace belloque
 Rep. fuerit CAROLUS exposui: nunc familiarem eius vitam,
 quibusque moribus atque fortuna domi & inter suos egerit, pau-
 cis perstringam. Matrem Bertham, quam filij pietate ac reveren-
 tia semper coluit, post memorabilem Saxonum cædem ad *Asam*
 flumen, amisit, ac regio more ad *S. Dionysij* propter Parisios mari-
 ti eius tumulo inferendam misit. Sororem quoq; *Gislam* summo
 honore profecutus est, hæc à primis iuventutis annis vita solitaria
 DEO servire desideravit, & in eo vitæ genere mortem subiit. Fra-
 tris *Carolomanni* fata superius executi sumus. Duxisse primam
 uxorem, *Gallienam*, *Galastriæ Toletani Regis* filiam *Cuspinianus*
 scribit, cæteri de *Luitberga Langobarda* pronuntiant. Hanc *Desi-
 derij* Regis filiam non diu in matrimonio habuit, sed anno verten-
 te, velut prædiximus repudiatam patri remisit, permittente magis
 quam approbante matre *Bertha*, quæ præcipua connubij concilia-
 trix ægre disrupti adfinitatem videbat. *Baronius* celebris occa-
 sionum captator, Imperatorem tum temporis à Pontifice *Stepha-
 no* deterritum fuisse sub interdictione sacrorum scribit, ne cum
 tam scæda gente sanguinem misceret: id cum, quod sciam, nullus

XCII

scriptorum moneat, nos homini sua relinquimus. Mox Hildegardem è gente Suevorum nobilissimam feminam & omnibus mulieris sexus dotibus præcellentem in matrimonium accepit, hæc sex liberorum parentem fecit : è quibus Carolus & Pipinus hic Italiæ, ille Germaniæ & citerioris Galliæ Reges, in flore ætatis vivente patre absumpti sunt, Ludovicus Aquitaniæ Rex regnorum & imperij hæres extitit; filia tres, Rotrudis, Bertha, Gisla in nupta vitam transegerunt, quanquam illam majorem natu Constantino Græcorum Imperatori desponsatam fuisse ferant, sive mater Irene, sive mors Rotrudis mox infecuta connubium distraxerit. Defuncta Hildegardi paulo ante obitum Berthæ matris, Frastradam Rodolphi Comitum Francorum filiam uxorem habuit, è qua duas suscepit filias Theodram & Hildrudim: sed ea quoque fati concessa Luitgardam Alemannam sibi sociavit, cuius tamen matrimonij possessio sterilis fuit. Cum Leonem Papam reduci Romanam imperaret, rursus conjugè orbatus fuit, & paulo post decoratus imperij insignibus Irenes orientis Imperatricis nuptias per legatos expetivit, sperans utriusque imperij opes connubio copulari isto posse. Irene satis ad id propensa fuit, sed Acëtius spado tanti negotium momenti dissipavit, & Nicephorus ad gubernacula productus, Irenem cito potentia deiecit, velut supra narravimus. *Concubina* deinde legitimo matrimonio superinduxit, quarum vna Rothaidem filiam, Mathalgardis Rothildim, Gersvinda Saxonicæ generis, Adelrudim, Regina Drogonem & Hugonem filios, Adelviinda Theodoricum, Himmeltrudis Pipinum gibbo deformem ipsi procreaverunt. In hisce Carolus, quod & *Baronius* recte iudicat, minor seipso inventus est, quod matrimonij castitatem sædo concubinarum amplexu maculaverit. *Nepotes* è Pipino Italorum Regè vidit, quos inter filius Bernhardus patrem in regno excepit, cæteræ neptes cum filiabus CAROLI pari honore & cura educatæ sunt. *Filios* quamprimum ætas idonea sufficeret, liberalibus studijs admoveri, dein more Francorum equis, armis, venationibus, exerceri: *filius* lanificio advescere, colore fuso, ne per otium torperent, operam impendere, & ad omnem honestatem erudiri voluit. *Liberorum* tantam in educatione curam habuit, ut cum domi requiesceret, nunquam absentibus illis cœnaret, nunquam

quam sine illis iter faceret. Adequitabant ipsi filij, filiz verò pone sequebantur, quarum extremum agmen è satellitum numero delecti clauderant. Illud summo opere mirandum fuit, quod cum venustissimæ formæ natas haberet, & paterno amore eas prosequeretur, nullam vnquam marito elocaverit, & contubernio earum carere se non posse constanter adfirmaverit. Quamobrem domesticis infortunijs maculatus alto silentio pressit dolorem, ac si nulla probri suspicio vnquam exitisset. Duabus maximè *conjuratiõibus* impetitus, feliciter vltus auctores, evasit. Una Germanorum fuit, qui Hattado Comite præcipuo seductore in caput eius scelerata consilia agitaverant, sed detectis insidijs comprehensis, partim oculis privati, omnes in exilium missi sunt, neque quisquam illorum capite pœnas dedit, exceptis tribus, qui ne comprehenderentur, strictis gladijs se defensuri, ab immixtis trucidati sunt. Altera majore periculo constitit. Dimisso enim à Pannonicis tum multibus milite, & soluto Ratisbonæ conventu, qui refellendis Elipandi erroribus institutus est, CAROLUS cum paucis regni negotia expediebat, magis mulierculæ implebant aulam, Frastradæ reginæ officia præstantes. Id animadvertens Pipinus quem nothum CAROLI ex Himmeltrudi diximus, de patre tollendo, immutandaque regni forma cum Francis quibusdam artes & consilia communicat. Igitur nocte, quæ meditatum facinus proximè antecedebat, in templo conveniunt conjurati, specie pietatis ac religionis nefaria consilia agitantes. Forte fortuna sacerdos Langobardus delitescens in templo omnia excepit, nec moratus diu, intempesta nocte ad CAROLUM venit, omnemque conjurationis seriem aperit. Statim conscij sceleris conduntur in carceres, Pipinus in cœnobium detruditur. Dum iudicium exercetur, & quæstiones habentur de conjuratis, CAROLUS ad Pipinum nostrum delegavit, qui exquirerent ab eo, quam pœna conjurantes dignos censerent. Tunc Pipinus hortum, steriles herbas evellens, repurgabat, & intellecta adventus legatorum causa, si Rex, inquit, hoc institutum meum sectatus fuisset, non ego miser ulterius ingrata lucis huius usura fruere. Cum legati verborum summam non percipientes, ulteriori interrogatione eum fatigarent, nil verbis opus esse respondit, irent modo & Regi hæc

XCIV.

renunciarent. Reversi conqueruntur de Pipini superbia, quasi contemneret Regis imperium, vix tria verba respondiſſe, quæ quidem animi ſenſa non explicuiſſent. Intellexit CAROLUS reſponſi vim, & conjuratos partim capite multavit, partim in crucem egit: vnum in altiſſimo monte, arcem vnde longe lateque proſpici poſſet habentem, in cacumine montis ſuſpendi juſſit. Cauſa conjurationum Eraſtradæ reginæ crudelitas ferebatur, quæ virum ſua natura clementem ad aſperiora aliquando impelleret. Illam crudelitatem non eſſe ferendam conſeji facinorum tumida jactatione inter ſe muſſabant, & ob vnius feminæ impotentiam virum ſeculo ſuo majorem tollere decreverunt. Index ad amplioſiorem dignitatem promotus præmia fidei ſuæ accepit. His atque alijs rerum humanarum miſerijs jactatus CAROLUS magis atque magis oculos ſuos ad beatiffimam illam æternitatem ſuſtulit, ac ſubiinde ſupremæ fata præmeditans diſponere res ſuas, & regnorum curam inter filios diſtribuere decrevit. Oſtavo igitur, quam decederet anno, vltimæ voluntatis *teſtamentum* fecit, hoc ordine vt Galliæ pars cum Hiſpania, Vaſconia & Narbonenſis provincia, Tarantafia & Cottiz Alpes Ludovico obvenirent, Pipino Langobardia, Italia cum adjacentibus à ſeptentrione Germanicis regionibus atque Bojaris cederent, cæteram Germaniam, Galliam Lugdunenſem, Celticam, itemque Saxones, Suevos, Belgas, CAROLUS major natu poſſideret. Dati tamen cuique fratrum in alterius ditione agri & vrbes, quo facilius alius alij auxilio eſſe poſſet, ac ſi quem mors, nullis relictis liberis rapuiſſet, fratres majori concordia hæreditatem adirent. Hoc conſilio, ſi forte Pipinus terris etiperetur, quicquid Lycum Padumque interjacet ſimul læva Italiæ, Hadriaticus ſinus ac ducatus Spoletanus CAROLI fierent, quæ verò ſupra Lycum Pipini fuiſſent, nec non dextram Italiæ ac Inſulas Tyrrhenas Ludovicus obtineret. Si Carolus decederet, Ludovicus Galliam Celticam, Pipinus Germanias acciperet. Si Ludovicus diem obiret, Pipinus Galliam Narbonenſem, Hiſpaniam uſque ad Iberum, (nam ibi Francorum imperium ſiniebatur,) Carolus Aquitaniam & Vaſconiam ſibi vindicaret. Si contingerent, vt fratrum alicui mortuo liberi ſuper eſſent, illi cum patruorum conſenſu patri in regno ſuccederent, hortatus eſt ad-

est adhuc filios suos, ut suo exemplo moniti Ecclesie patrocinium pro viribus suscipere, fovere ejus alumnos, removerent hostes; Sorores nubere cupientes pro dignitate generis viro illustri collocarent, solitariam vero amplectentibus vitam necessaria laure ministrarent. Ipse denique quamdiu vitam protraheret, summam in omnia regna potestatem sibi reservavit. De cætero figmentum est in cerebro *Baronij* natum, quum propugnare audeat, Imperatorem de rebus Imperij Rom. nihil sanxisse, quod eam quidem successionem potestati Pontificis reservatam vellet. Ineptum esset multis talia exsequi, quando quidem & *Theganus* cujus verbis testamentum CAROLI recitat *Baronius*, alto silentio ea involuit, & verò *Eginhardus* cum cæteris certatim reclamat, pro ut mox Ludovici exemplo monebimus. Illud forte non omiserim affirmare, prudentissimum Imperatorem gravissimis inductum rationibus, ut inter fratrum tres illo adhuc tempore neminem ad Imperium extolleret. Omnem thesaurum & res quæ moveri possent, per unam & viginti metropoles quas vocant, dividi voluit. Eæ fuerant Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julij, Gradus, Colonia, Moguntiacum, Salisburgum, Rothomagus, Treviri, Vesontium, Lugdunum, Rhemis, Senones, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdegala, Turones, Bituriges; quod legatum solennibus literis confirmatum, statimque à Ludovico post mortem patris præstitum est. Auream præterea mensam, & tres argenteas, quarum una Romam, altera Constantinopolim, tertia orbem terrarum pulcherrimo artificio cælata habebat, vendi ac pecuniam pauperibus erogari jussit, ut quem vivum clementissimum patrem experti essent, Eiusdem beneficia post obitum quoque agnoscerent. Septem deinde interpositis annis, quum Carolum & Pipinum filios præmatura morte, sibi præreptos, & se parum integra ætate, nec rebus agendis amplius idonea esse, cerneret, Ludovicum filium, spectantibus atque consentientibus regni proceribus consortem Imperij laborumque socium ac Comitum renunciavit, jamque intuens illum, accede, inquit, Ludovice fili, & coronam capiti Tuo, non tam dignitatis ornamento, quam regnorum ac Reip: Christianæ presidio letus impone, ac mecum una Imperium auspiciis posthac consilij moderare. Deum illum omnipotentem

rem metue, dilige, præceptu eius obsequere, tutare Ecclesiam & ab impij erroribus immunem præsta, sorores & necessarios omni amicitia & officiorum genere cole. Doctores sacros & animarum curatores summa animi observantia venerare, cum subditu Tuu veluti liberru age, quorum consilijs vteris, fac pios illos fideles, prudentes, & avaritia inimicos habeas. Temere verò aut inconsulte neminem ministrorum exauctora, aut abs te remove.

XCVI.

Sic dimisso in Aquitaniam Ludovico acquiescebat paulatim CAROLUS, satisque jam domi, satis foris sibi videbatur fortunatus, nisi quod exhaustum immensa laborum, negotiorum, onerum mole corpus, cælestem requiem & amplexus creatoris sui desideraret. Cuius quidem voti compos, satiatus terrena gloria, nec minus adversis probatus, anno post communicatum filio Augustæ dignitatis apicem factus est. Versabatur tum Aquisgrani, sæpe venationibus, quas valetudini suæ accommodatissimas ducebat, indulgens, cum media hyeme valida febris torpentem primo adflixit. Id morbi genus sentiens, ut in febris solebat, ab omni cibo se abstinuit, ratus hoc remedio vim ejus depelli aut certe minui posse. Verum accedente lateris dolore, quam *pleuresin* Græci vocant, illoque in mediam adhuc retinente, nec aliter quam rarissimo potu sustentante corpus, septimo postquam decubuisset die, quum annum ætatis LXXII. attigisset, regnaret XLVI, Romani Imperium orbis administraret XIII. percepta prius facta communionem, in sua resolutus initia, animam cælo, terræ corpus reddidit. Mors ejus evidentiſſimis ostentis præcognita est. Nam pons, quem ad Moguntiam Rheno commiserat, tribus horis, velut prædiximus, conflagravit, & cum aliquando in via esset, fax ignea medio aëre volitans tanto impetu latus ejus strinxit, ut cingulum ab ense dissolveret. Palatium Aquisgrani vexatum terræ motu fuit. Templum etiam augustissimum, quod Aquisgrani perfecerat, fulmine qualisatum, & nominis inscriptio, qua PRINCEPS CAROLUS denotabatur, sic adusta est, ut literæ, quæ PRINCEPS referebatur, penitus deleterentur. Solis tandem & Lunæ fulgor, sex ante mortem ejus diebus atro colore immutatus fertur. Defunctus igitur est Princeps animo maximus, corporis vigore acerrimus, secundis non elatus, nec adversis fractus, prorsus utriusque fortunæ par, laborum patientissimus, in primis bellicæ militiæ, non otio castro-

rum adfectus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas vel natura mortalis recipit, vel industria perficit. Religionem Christianam, qua ab infantia imbutus erat, ardentissima pietate excoluit, eo usque per assiduam ejus meditationem evehctus, ut ipse præceptor Albinus, & alij sanctissimæ disciplinæ doctores in gravissimis fidei momentis consilium atque judicium ejus expetiverint. id quod vel ex literis, quas *Baronius* Annalibus inseruit, ad CAROLUM ab Albino, à CAROLO ad Albinum missis, evidenter apparet. Verbi divini dulcedinem, efficaciam, solatia impigrescebat, mane & vesperi sæpe nocturnis horis templum ingrediens, curabatque ut cuncta, qua par erat honestate gererentur, ædituos creberrime commonens, ne quid indecens aut sordidum inferri sacris ædibus, sive in illis servari permitterent. Sacrorum vasorum ex auro & argento, & vestimentorum sacerdotalium ingentem suppeditavit copiam. Eruditione in liberalibus studiis prout ipse pollebat insigni, sic doctores artium & disciplinarum summo honore affecit, Scholas etiam, Academias, Collegia ubique excitavit. Ferunt illo tempore viros duos cum Britannicis mercatoribus ex Hybernia in Galliam delatos, quum alij suas merces proponerent, magna voce exclamasse, *se sapientiam venalem habere*. Verba à multis excepta passim ludibrio aut admiratione hominum circumferebantur. Tandem perlato in regiam, rumore, CAROLUS accersitos eos de venali merce adpellat, rursumque professos sapientiam, qua mercede venditam vellent, interrogat, & postquam victu & vestitu docentium vendi illam expositum esset, CAROLUS unum Parisios, alterum Papiam collocavit, cura negotij Albino commissa, qui incrementa harum Scholarum debita opera promoveret. De victis Saxonibus Osnabrugæ collegium instituit, speciatim edicens, ut in eo Græci Latiniq; Scriptores explicarentur. Neque verò industria ejus sibi substitit, unde cœpit, sed institutas semel Academias omni studio fovit, cujus rei memorabile & dignum magno Principe exemplum habemus. Accidit enim aliquando, ut facturns periculum de puerorum profectibus, quos Parisijs Clementi Scoto commiserat, orationes, carmina, panegyricos, scripta alia exhiberi sibi juberet. Ubi tenuiores præter spem profecisse, Nobiles verò gaudiis corporis deditos,

XCVII.

cul.

cultum animi neglexisse deprehendit, illis ad de veteram segregatis, vos quidem mali virtute, inquit, estote, filij piensissimi, qui nostrum Imperio gnariter desuncti estis; vestra erunt sacerdotia locupletissima, & Pontificatus maximi. Ego vos in Aulam adisco, ex vobis Senatores coprobo, vos in Curiam Patrum, & album Pratorum adlegam. Deinde ad Nubiliū liberos versus, quos à læva collocarat, vultu præferens tam animi, vos, ait, comatuli ac delicatuli, fredi opibus & splendore parentum nostram Majestati sprevisi, vitia, otium, luxuriam & inertiam literarum virtutibusque præculisti. Iubeo & DEVM immortalis testor, nihil penitus commodi, honoris, ne obolum quidem ab Imperatore vestro, cuius iussa, adspersus estis, expectabitur. Faxim ut omnibus moribus ludibrio vivatis, & in vos exempla edam, nisi resipueritis, & negligentiam expiaveritis futura diligentia. Illustravit illam ætatem rarus quidem, tamen aliquis doctorum virorum proventus. Paulinus Patriarcha Aquilegiensis in re sacra celeberrimus, Concilio Francofurtensium præcipue clarescebat. Alconius item præceptor CAROLI nostri inter prima eruditionis sidera numerabatur. Paulus autem Diaconus in percensendis superiorum seculorum gestis occupatus fuit. Hunc everso Langobardorum Principatu in Galliam avertum CAROLUS multo amore profecutus, libertate etiam donavit. Sed deinceps intentum novis molitionibus, atque de Regis Desiderij fuga consilia agitantem in Diomedas insulas seposuit, ibi Paulus exilium aliquot annos tolerans, postea rogatu Adalpergæ Beneventanæ, (hæc Desiderij filia fuit) Eutropij historiz aliquot libros adjecit, ac Cæsarum Romanorum vitas à Juliano ad Iustiniani tempora pertexuit. Reconciliatum extremo senectutis spatio Imperatori fuisse, carmina utro citroque missa satis ostendunt. Inter Gallos Bernardus quidam ad imitationem Eusebij Sanctorum acta brevi stylo consignasse traditur. Talis circa religionem & præcipuum ejus fulcrum eruditionem conservandam CAROLUS fuerat, cui proposito cæteri mores, & vita omni virtutum experimento clara egregie respondebat. Homines peregrinos ut arcta amicitia, principali liberalitate, & numero fere gravi aula sua fovebat, sic vestitu patrio h. e. Francico utebatur. Lineis primo indumentis totum corpus tegebat; deinde tibialibus ac tunica involutus, quæ limbo serico amiebatur, fasciis crura, & pedes calciamentis

tis constringebat, & ex pellibus murinis confecto thorace humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus & gladio semper accinctus erat, cujus capulus ac baltheus vel auro fulgebant, vel nitebant argento, habebat enses gemmis distinctum, quo tamen non nisi in præcipuis solennitatibus, vel si quando externarum gentium oratores adessent, conspiciendus erat. Peregrina verò vestimenta neque vnquam sibi adplicabat, & acerrime odebat. Semel tantum Romæ, petente id Adriano Pontifice, & iterum Leone successore eius supplicante, longam tunicam & chlamydem sumebat, atque calceis Romano more formatis incestebat. In solennibus ac festis diebus, vestem auro textam, & calciamenta gemmata, & sagum fibula aurea adstrictum gestabat, diademate quoque ex auro & gemmis confecto ornabatur: Cæteris autem diebus habitu non multum à privato abhorrente dignoscebatur. Cum Germani Francique Gallosum saga virgata imitarentur, & in eo habitu coram CAROLO comparerent, indignabundus, *hem, inquit, Germani mei, Francique gentium domitores, mali ominis res est, quod in habitum illorum, qui imperio vestro subiecti sunt transeat. Vos Gallosum vestes, illi aimum vestrum vobis auferent. Quid laceri illi panni, ne medium quidem corpus regentes, non assum, non frigus arcentes, vos iuvant, statimque edicto, ne posthac Germaniæ importarentur inhibuit.* Dotibus etiam, quæ vulgus in primis ad maiestatis venerationem inducunt, nequaquam caruit. Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen justam non excederet, nam septem pedum suorum mensuram explevisse, ex Eginhardo constat. Apice capitis rotundo, oculis grandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta ac hilari spectabatur, vnde auctoritatem stanti ac sedenti maximam formæ amplitudo conciliabat. Quamquam cervix obesa, & venter projectior videretur, tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas, incessus firmus, totaque corporis habitudo virilis erat. Voce quidem clara utebatur, sed quæ minus corporis formæ conveniret, valetudine prospera, præter, quod antequam decederet, quatuor annis crebro febribus maceraretur, ad extremum vno etiam pede claudicaret, & tunc quidem plura suo arbitratu, quam medicorum consilio faciebat, quorum operam pene exosam habuerat, cum assas carnes, queis aduetus erat,

ipsi interdixissent, & elixis vesci suassissent. Cibo nunquam diu
 abstinere poterat, sæpius adversa valetudini suæ jejunia quærens.
 Convivabatur rarissime, nec nisi solennibus ac feriatis diebus, si-
 mulque adsidente magno hominum numero. Cœnam quoti-
 dianam quaternis ferculis præbebat, præter carnes ferinas, quas
 venatores verubus admotas tostasque mensæ inferebant, hoc e-
 nim esculento mirum quantum delectabatur. Vini quoque na-
 tura parcissimus erat, nec amplius ter bibere super cœnam solebat
 somnum. (nihil enim omiserim) noctu sæpe interrupit, cum mem-
 bra sopori dedisset, è cxx. satellitibus semper quadrageni in vi-
 cem succedentes, corpus eius custodierunt. Æstate tribus aut
 quatuor horis pomeridianis dormivit. Noctu, quoties aliquid
 occurrebat, in pugillares sub lectulo positos conjecit, ut memoria
 consulere. Pauperes atque egenos, maxima cura, opibus, libera-
 litate adjuvit. Nec tantum in patrijs regnis aut imperio penu-
 riam illorum sublevabat, sed ubicunque per Syriam, Ægyptum,
 Africam, Hierosolymas, Alexandriam, Carthagnem, Christianos
 emendicata stipe vitam tolerare audiverat, liberalissima manu pe-
 cuniam submitit. Ob hanc maximè causam Regum exterorum a-
 micitiam expetens, quò Christiani sub imperijs illic mitius tra-
 ctarentur. Igitur domi suis exoptatus, foris amandus, exteris
 metuendus, cunctis venerandus vivebat, denique illum fortunæ
 ascendebat gradum, ut præter splendidissimorum natalium de-
 cus, excellentissimasque victorias, & Augustæ dignitatis culmen,
 extantumque vitæ spatium cognomen MAGNI consensu gen-
 tium reportaret. Quo sicut à primis retro seculis eminentissi-
 mos quosque viros notatos fuisse scimus, ita CAROLUM ge-
 storum suorum magnitudine istos omnes æquasse liquido depre-
 hendimus. Mortis autem ejus fides quamprimum gentibus fa-
 cta est, velut unanimes mœrore ac plandibus omnes provinciæ per-
 sonabant. Subditi & inopes Imperatorem & patrem patriæ be-
 gnissimum, devicti justissimum victorem, cæteri fortissimum vi-
 rum, totus orbis virtutum exemplar luxit: sed quoniam recepta
 cælo anima, atque in terris vigente magni nominis umbra, solæ
 corporis reliquæ iustis honoribus demerendæ superessent, illæ
 in templo magnificentissimo, quod ipse Aquisgrani suis auspicijs
 extruxerat, sua præsentia toties illustraverat, ac devota pietate fan-

sanctius atque augustius fecerat, solennibus ceremonijs conditæ sunt. Corpus exquisitis odoribus perlitum, accinctum ense aureo, & erecto capite in sedem reclinatum est, scepro quoque ac scuto & cæteris fortunæ insignibus adjectis. Super tumulum arcus erectus, quem atro vadique induxerant, cum imagine CAROLI, & hac inscriptione:

SUB HOC CONDITORIO SITUM EST CORPUS CAROLI MAGNI ATQUE ORTHODOXI IMPERATORIS, QUI REGNUM FRANCORUM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVI. FELICITER REXIT. Epitaphium ab *Aigobardo* quodam consarcinatum, satis tude & sola Authoris sui voluntate laudandum, ne vel minima quis desideraret, quæ CAROLI nostræ gloriæ propagatæ videntur, ex *Baronio* adscribere libuit.

*Aurea cælorum postquam de virgine prolis
Sumpserè apta Tibi mundi pro crimine membra,
Iam decimus quartus post centies octo volabat,
Annus multivagi, n. n. nit quo fervida seclis,
Ætherei Carolus, Francorum gloria gentis,
Æquora transire, & placidum comprehendere portum.
Qui deciesque quater per sex feliciter annos
Sceptra tenens regni, & regnorum rex regna resurgens.
Febru migravit quinto atij ex orbe Calendas.
Septuaginta senex vita qui terminat annos,
Quapropter flagito precibus si flecteris vllis,
Quisq; huius relegis versus epigrammata, lector,
Astriferam Caroli teneat dic spiritus arcem.*

In numerum sanctorum à Paschali Papa relatus est, superstitione cum seculo subinde aucta, cæterum honor eius ac memoria, tum alias, tum quoties Romano Germanici Imperij initia recordamur, sancte celebratur.

Notæ quædam in CAROLI MAGNI historiam.

Fuerat animus plura, quæ vel in contextu historię explicatione non potuerunt proponi, vel aliqua declaratione videntur indigere, in has notas conijcere: sed brevitæte temporis & festinatione Typographi impeditus, præter pauca hæc nihil subjeci.

Ad caput I.] Inter majores CAROLI, vt primus ferè CARO-

LUS MARTELLUS gestorum magnitudine illustravit familiam: ita pleriq; Scriptores non altius illustrissimæ stirpis initia, quam ab ipso repetunt. *Aventinus* è vetustissimis Baviaræ principibus originè CAROLI nostri deducit, hac serie, ut ab *Yrhone*, [qui frater Theodonis, magni Bojorum reguli, & à rege Francorum Theodorico, interioris Germaniæ perfectus contra Danotum incursiones constitutus fuerat,] *Hugobertum* genitum pronuntiet, cuius porro filium *Afopertum*, ex *Pluthylda* filia *Lotharij* regis Francorū *Arnulphum* procreasse, hinc *Angisum*, ac deinde *Pipinum*, ab hoc *Carolus Martellum* descendisse contendit, nihil tamen certi affirmare sustinet. *Andreas Ratisponensis*, ab *Arnulpho*, (quem abdicata rerum civilium cura *Metensium* Episcopum fuisse scribit) *Carolinam stirpem* demum orditur, & *Successionis tabulam* hoc ordine comprehendit.

Arnulphus *Metensium* Episcopus.

|
Angisus.

|
Pipinus dictus *Gtollus*. Major
domus apud Francos.

|
CAROLUS MARTELLIUS major domus.

|
Caroloman- PIPINUS Gripho.
nus major domus,
& mox Rex Franciæ.

|
CAROLUS MAGNUS, primum Carolomanus.
REX FRANCIAE, postea ROM.
IMPERATOR.

Ad Caput XLV. de *ROLANDO*.] Hic est ille *Rolandus*, *Caroli* ex *sorore* nepos, cui hodierni *Comites Palatini* originem suam transcribunt. Eius ut *ensis Durenda*, ac *tuba*, ita *corpus* quoq; ac *magnitudo*, miris *Poëtarum* carminibus incluta fuit. Et *colossi* quidem illi, non *Bremæ* tantum, sed *Brandeburgi* quoq; ac in *celebrioribus Saxonie* urbibus alijs, (vid. *Camer. cent. 1 c 82. borar. subc. 5v.*) erecti *immensam* magnitudinem præferunt, quæ an tanta in *Rolando* fuerit merito dubitatur. Vide *Hubertum Thomam Leodium* lib. 1. *Annal. Frideric. II.*

Ad caput LI.] Vitekindi stemma ex Alberto Stadensi tale est.
 Vitekindus Dux Saxonum, per Carolum baptizatus.

*Hos duos vno cum patre avoq; nomine appellatos, testatur præter alios Reinccius. *Wicbertus Dux Saxonum Christianus.
 *Walbertus Dux Saxonum Christianissimus.
 Ludolphus Dux Saxonum nobilissimus.

Bruno Dux à Danis occisus. Otho Dux Saxonum invictissimus. Dava. Lutgard, vxor Ludovici regis, Arnulfi Imp.

HENRICUS REX.

OTTHO MAGNUS Imperator primus de Saxonibus.

Otto Imperator secundus.

Otto Imperator tertius.

Henricus Dux Bavarix.

Henricus Dux Bavarix.

Henricus Barenbergenfis, Dux Bavarix, postea Imperator.

De Regibus Gallix à familia Vitekindi descendentibus ita Abbas Stadensis ad annũ DCCC LXXXVI. scribit. *Vrbo*, (alijs Otho) vir militaris ac strenuus, à principibus Gallix Rex creatur in palatio Compendij. Hic patrem habuit, ex equestri ordine Robertum avnm vero Vitekindũ, (Hic nepos Vitekindi nostri fuit) ex Germania profugũ. Hęc Abbas. Cætera vide in ap- pẽdice genealogico Reinccij, qui spectata industria hæc omnia evolvit.

Ad caput LXXX. de Castello Hochburg] Hamburgum denominari, jactatum initia Episcopatus & vrbis declarat *Albertus Stadensis* ad annum DCCCX. vid. & M. Adami Hist. Eccles.

Cap. xc. *Legi Salicæ capita quedam addidit.*] Pauca sunt & partim obscura, quæ Scriptores de emédatione legis Salicæ per Carolũ instituta habent. Nobis in tanta brevitate non est consultum plura vel evoluere, vel addere. Tantum de nomine legis Salicæ, eius auctore, & quo tẽpore primũ lata sit, aliqua ex *Camer. bor. subcisiv. pars. 3. c. 64.*

subijciemus. Salica legu nomen, (inquit,) non deduco à Sala nobili quidem flumine, scaturiente de monte pinnifero Voilandia, interfecante Thuringiã, quod tandem ab Albi absorbetur. sicut multorum opinio est, se de Sala Francica, qui fluvius oritur prope Hasbergicam Sylvã, non ita pridem ob atrocissima insaniam, ad consinia comitatus Hennebergici, longoque tractu, versus partem Septentrionalem Franconia illam, quæ à sexto & postremo circulo vel centone Nobilitatis Francica, Ræna & Verda vocatur. cursum suum absolvit, & prope oppidum Gemundam Rheno comiscetur. Hoc ut quor verius esse multis rationibus cõprobari posses: inter quas non postreme sunt, quod Conradus II. Imperator Salicus cognomen ab hu Salis Francicis traxit. ketulit n. originem ad Francos veteres. tam quod loca, vbi domicilia auctores huius legu habuerunt, vetera sua nomina plerag, retineant, & in hodiernũ diem ibi arces nobilium sunt. Ex quibus præ ceteris celebres sunt, arx condomiorum Saluburgum vbi regiam suam Faramundus I. Rex Francorum habuisse, & Francoberga anterior, vel superior, vbi sepultus esse dicitur, &c. Et mox. Natales Salicæ legis fluxere iussu Faramundus I. Regis Francorũ, ope, industria, & consilio quatuor regni procerũ, Wisogasti, Losogasti, & Husogasti, & Sorogasti. Qui Gasti Germanico nomine à sapientia & scientia rerum atq, ingenij perspicentia dicti fuerunt, quasi Catores, excellenti spiritus viri, singulis sorte ordinibus ab ipso Faramundo delecti, vt in cõmune toti Francorũ Reip. salubriter consulerent. &c. Iterum: ad tempus quod assignet, Leges hæ Salicæ latae sunt. postquam Faramundus primus Rex constituisset regiam quandã gubernationẽ apud Francos, circa annum Chr. ccccxxi, qui incidet in tẽpora Imperatoris, Theodosis Iunioris, licet aliqui in Honorij tempus gubernationis illius initium referant, & Bonifacij I. huius nominis Pontificis Romani. Hactenus Camerarius.

Cap. xcii. Mox Hildegarden in matrimonium accepit. Sunt mira & fabulæ omnino simillima, quæ de Hildegardis huius fortuna, exilio, & relapso cum Carolo conjugij scedere, antiquorum monasteriorum annales referunt. Tradunt nimirum, fuisse Carolo è concubina Pipini fratrem Talandũ, cui Rex in bellum contra Saxones abiens Hildegardin conjugem cõmendavit, vt interim curã illius & simul regni ageret. Ille vero correptus libidinis æstu illicitum reginæ concubitus expetiit, quæ ab insaniente homine nõ semel interpellata, dolo circumventũ carceri inclusit quidem, sed sub adventũ Caroli regis rursus emisit. Qui scelus scelere cumulaturus, Hildegardin apud maritum graviter desert, quasi ipsa neglectis pudicitiz finib. sui corporis copiam desiderasset. Carolus ira ardentissime correptus, ne audita quidem conjugis oculos ipsi erui iubet. Sed Hildegardis divina

ope servata Româ profugit, & concessam sibi à Deo medicâ artem strenue exercuit. Fit interim vt Talâdus iusto Numinis iudicio visu privatus, cum nulla medicorum industria restituere oculo valeret, Romam deniq; cum fratre contenderet. Ibi quum felicitatem Hildegardis in medendo cognovisset, ab incognita tum sibi auxilium petit. Illa remediû offert, sed hac lege, vt prius Talandus, omniâ quæ vnquam patraisset scelera sacerdoti confiteretur. Ille exonerato animo visum recipit, at regina per sacerdotem de sua innocentia Carolum interim certiorê facit, & causa cognita summo cû honore prioris conjugio restituitur, Talandus in exilium pellitur. Cæterû inter Authores nullus est, qui verbo huius rei meminerit, & si vnquã tale quid contigit, id potius ad Lutbergam priorem Caroli conjugem, quam aliqui Hermegardim vocant, referendum esset, quæ repudiata quidem à Carole, nunquam tamen in matrimoniû recepta fuit.

Eodem cap. *Quamobrem domesticum infortunium maculatus alto silentio pressit dolorem, ac si nullius probri suspicio nunquam exisset.* Nescio an Eginhardus, (nam ex eo hæc transcripsimus) respiciat ad furtivû amorem suû, cum filia Caroli, de quo multa q̄ntoq; sine inde leguntur, & ne quid desit, nos quoq; paucissimis perstringemus. Eginhardus scriba Caroli, Immx filix eius amore flagrasse perhibetur. Igitur quû aliquando confectâ cenâ diutius in gynæceo moraretur, & vesanû amorem colloquendo atq; amplexibus fallere conaretur, accidit, vt interim altæ nives aream, per quâ ipsi cubiculû repetendum erat, congereret. Hærebant amâtes suspensi, & ne vestigia Eginhardi mane deprehenderentur, filia Imperatoris excogitata fraude amatorê suum tergo exceptû in antenores zdes deponit, ac deinde per eadê vestigia gynæceû repetit. Ea nocte, vt sæpe solebat, Imperator de thoro surgit, & apertis fenestris, omnê rei gestæ seriê deprehendit. Igitur postero die consiliarios vocat, & exposito factò, nulla tamen personatû mentione habita, quid meriti essent eiusmodi homines, rogat. Illi delinquentes hoc modo, morte dignos cêsent. Sed Carolus filia, & Eginhardo adscitis, & cômonefactis hesterni delicti, piimum sententiæ rigorê denunciât, deinde increpitos, quod tanto facinore Maestatem suâ læserint, ita se penâ pariter ac veniâ temperatû docet, vt neq; Imperatoriam severitatê prorsus negligat, neq; pietatê mansuetudinê exuat: quibus dictis, ambos matrimoniij fœdere iunxit prædiazq; ac vicis aliquot in dotê ac vitæ sustentationê genero concessit. Hanc donationê Ludovicus Pius Imp. postea auxit, & ab Eginhardo hodieq; Comes Erbacensis originem suam trahere communiter traditur. Vt cunq; sit, nihil sane certi commemorare licet, nec pauci doctiorum inveniuntur, qui fabularum loco hæc omnia æstimant.

Cap. XCIX Aurea cœlorum. *Cluverius* Epitomator recitat aliud ex Chronico quodam Belgico.

*O spes adfectu, timor hostibus, hostia Sictu,
Regula virtutis, iurû Sen, forma salus,
Carole sergorum ps a suscipe Sen tuorum.*



Sequitur

VITA

CAROLI MAGNI.

Scriptore

EGINHARDO.

VITA CAROLI MAGNI IMPERAT.



GENS Merovingorum, de qua Franci reges sibi creare soluerant, usque in Hildericum regem, qui iussu Stephani Roman. Pontificis depositus ac deponus, atque in monasterium trusus est, durasse putatur, quæ licet in illo finita possit videri: tamen jam dudum nullius vigoriserat, nec quicquam in se clarum, præter inane regis vocabulum præferbat. Nam & opes & potentia regni penes palatii præfectos, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos summa imperij pertinebat, tenebantur: neque regi aliud relinquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecunque venientes audiret, iisque abeuntibus responsa quæ erat † doctus, vel etiam iussus, ex sua velut potestate redderet: cum præter inutile regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus aulae, prout videbatur, exhibebat; nihil aliud proprium possideret, quàm vnam & eam præparui reditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat. Quocunque eundem erat, carpento ibat, quod bubus junctis, & bubulco rustico more agente trahebatur: sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At regni administrationem, & omnia quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, præfectus aulae procurabat. Quo officio tum cum Hildericus deponabatur, Pipinus pater CAROLI regis jam velut hæreditario jure fungebatur. Nam pater eius CAROLVS, qui tyrannos per totam Franciam dominatum sibi vendicantes oppressit, & Saracenos Galliam occupare tentantes, duobus magnis præliis, vno in Aquitania apud Pictavium civitatem, altero juxta Narbonam apud Byram fluvium ita devicit, ut in Hispaniam eos redire compelleret, eundem magistratum à patre Pipino sibi dimissum egregiè administravit. Qui honor non aliis à populo dari consueverat, quàm iis

al. edoctus

qui & claritate generis, & opum amplitudine cæteris eminebant. Hunc cum Pipinus pater CAROLI regis ab avo & patre sibi & fratri Carolomanno relicto, summa cum eo concordia divitum aliquot annis velut sub rege memorato tenuisset, frater eius Carolomannus, incertum quibus de causis, tamen videtur, quoddam amore conversationis contemplativæ succensus, operosa temporalis regni administratione relicta, Romam se contulit in otium: ibique habitu permutato monachus factus, in monte Soracte apud ecclesiam Beati Sylvestri constructo monasterio, cum fratribus secum ad hoc venientibus, per aliquot annos optata quiete perfruitur. Sed cum ex Francia multi nobilium ob vota solvenda Romam solenniter commearent, & cum velut dominum quondam suum præterire nollent, otium quo maximè delectabantur crebra salutatione interruptæ, locum mutare compellunt. Nam cum huiuscemodi frequentiam suo proposito officere vidisset, relicto monte, in Samnium provinciam ad monasterium S. Benedicti, situm in arce Casina secessit, & ibi quod reliquum erat temporalis vitæ, religiosè conversando complevit. Pipinus autem per auctoritatem Rom. Pontificis ex præfecto palatij rex constitutus, cum per xv. annos aut eo amplius Francis imperaret, finito Aquitanico bello, quod contra *Wastanum* ducem Aquitaniz ab eo susceptum per continuos ix. annos gerebatur, apud Parisios morbo acuz intercutis diem obiit, superstitibus liberis CAROLO & Carolomanno, ad quos successio regni divino nutu pervenerat. Franci siquidem facto solenniter generali conventu, ambos sibi reges constituunt, ea conditione præmissa, vt totum regni corpus ex æquo partirentur: & CAROLVS eam partem quam pater eorum Pipinus tenuerat, Carolomannus verò, eam cui patruus eorum Carolomannus præerat, regendam susciperet. Susceptæ sunt utrinque conditiones, & pars regni divisi juxta modum sibi propositum ab utroque recepta est, mansitque ista quamvis cum summa difficultate concordia, multis ex parte Carolomanni societatem separare molientibus, aded vt quidam etiam eos bello committere sint meditati. Sed in eo plus suspicionis quàm periculi fuisse ipse tæterni exitus approbavit, cum defuncto Carolomanno, vxor eius cum filiis, & quibusdam qui ex optimatum eius nu-

mero primorès erant, Italiam fuga peteret, & nullis existentibus
causis spreto mariti fratre, sub Delyderii regis Langobardorum
patrocinium se cum liberis suis offerret. Carolomannus quidem
post administratum communiter biennio regnum morbo dècessit.
CAROLVS autem, fratre defuncto, consensu omnium Franco-
rum rex constituitur. De cuius nativitate atque infantia, vel et-
iam pueritia, quia neque scriptis vsquam † aliquando declaratum *al. aliquid.*
est, nec quicquam modo superesse invenitur, qui horum se dicat
habere notitiam, scribere ineptum iudicans, ad actus & mores,
ceterasque vitæ illius partes explicandas ac demonstrandas, omis-
sis incognitis transire disposui, ita tamen, ut primò res gestas &
domi & foris, deinde mores & studia eius, tum de regni admini-
stratione & sine narrando nihil de iis quæ cognitu vel digna vel
necessaria sunt, prætermittam. Omnium bellorum quæ gessit, primo
Aquitanicum à patre inchoatum, sed nondum finitum, quia
cito peragi posse putabatur fratre adhuc vivo & auxilium ferre
rogato, suscepit. & licet eum frater promisso frustrasset auxilio,
susceptam expeditionem strenuissimè executus, non prius in-
cepto desistere, aut semel suscepto labori cedere voluit, quam hoc
quod efficere moliebatur, perseverantia quadam perfecto sine
concluderet. Nam & Hunoldum, qui post Waifarij mortem A-
quitaniam occupare, bellumq; jam penè peractum reparare tenta-
verat, Aquitaniam relinquere, & Vasconiam petere coëgit.
Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmissò amnè Ga-
ronna Lupo Vasconum duci per legatos mandat, ut perfugam red-
dat: quod ni † festinè faciat, bello eum se exoptulaturum. Sed
Lupus saniori vsus consilio, non solum Hunoldum reddidit, sed
etiam seipsum cum provincia cui præerat, eius potestati submisit.
Compositis in Aquitania rebus, eoq; bello finito, regni quoq; so-
cio jam rebus humanis exempto, rogatu & precibus Adriani Rom.
urbis episcopi exoratus, bellum contra Langobardos suscepit:
quod prius quidem & à patre eius, Stephano Papa supplicante,
cum magna difficultate susceptum est: quia quidam ex primori-
bus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeo voluntati
eius renisi sunt, ut se regem deserturos, domumq; redituros libera
voce proclamarent, susceptum tamen bellum est contra Haistol-
*al. festina-
10.*

sum regem, & celerrimè completum. Sed licet sibi & patri belli suscipiendi similis, ac potius eadem causa subesse videretur, haud simili tamen & labore certatum, & sine constaret esse completum. Pipinus siquidem Haistolfum paucorum dierum obsidione apud Ticinum compulsi & obsides dare, & erepta Romanis oppida atque castella restituere, atque ut reddita non repeterentur, sacramento fidem dare. CAROLUS verò post inchoatum à se bellum non prius desistit, quam & Desiderium regem, quem longa obsidione fatigaverat, in deditiōnem susciperet, & filium eius Adalgisum, in quem spes omnium inclinata videbatur, non solum regno, sed etiam Italia decedere compelleret, omnia Romanis erepta restitueret, Ruodgaudum Foro-Julianiducatus præfectum res novas molientem opprimeret, totamque Italiam suæ dit omni subjugaret, subactaque filium Pipinum regem imponeret. Italiam intranti quædam difficilis Alpium transitus fuerit, quantoque Francorum labore in via montium juga, & eminentes in cælum scopuli, atque asperæ cautes superata sint, hoc loco describerem, nisi vitæ illius modum potius quam bellorum quæ gessit eventus memoriarum mandare, præsentis opere animo esset propositum. Finis tamen huius belli fuit subacta Italia, & rex Desiderius perpetuo exilio deportatus, & filius eius Adalgisus Italiam pulsus, & res à Langobardorum regibus ereptæ, Adriano Romanæ Ecclesiæ restitutor restituta. Post eius finem Saxonicum, quod quasi intermissum videbatur, repetitum est, quo nullum neque prolixius, neque atrocius, Francorumque populo laboriosius susceptum est. Quia Saxones, sicut omnes ferè Germaniam incolentes nationes, & natura feroces, & cultui dæmonum dediti, nostræque religioni contrarij, neque divina neque humana jura vel polluere, vel transgredi inhonestum arbitrabantur. Suberant & causæ, quæ quotidie pacem conturbare poterant termini videlicet nostri & illorum penè ubique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel sylvæ maiores, vel montium juga interiecta, utrorumque agros certo limite determinant, in quibus cædes & rapinæ & incendia vicissim fieri non cessabant. Quibus aded Franci sunt irritati, ut jam non vices reddere, sed apertum contra eos bellum suscipere dignum judicarent. Susceptum est igitur contra eos bellum quod magna utrinque

animositate, tamen maiore Saxonum quam Francorum damno per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat siquidem citius finire, si Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu est, quoties, superati, ac supplices regi se dederint, imperata facinros polliciti sint, obsides qui imperabantur absque dilatione dederint, legatos qui mittebantur, susceperint. Aliquoties ita domiti & emolli, ut & cultum dæmonum dimittere, & Christianæ religioni se subdere velle promitterent. Sed sicut adhuc facienda aliquoties promissa, sic ad eadem pervertenda semper fuere præcipites. Ut non facile æstimare possis, ad utrum horum faciliores verius dici possent: quippe cum post inchoatum cum eis bellum, vix annus vnus exactus sit, quò non ab eis huiuscemodi facta sit permutatio. Sed magnanimitas regis, ac perpetua tam in adversis quam prosperis mentis constantia, nulla eorum mutabilitate vel vinci poterat, vel ab iis quæ agere cœperat, defatigari. Nam nunquam eos huiuscemodii aliquid perpetrantes, impunè ferre passus est, quin aut ipse per se ducto, aut per comites suos misso exercitu perfidiam vicisceretur, & dignam ab eis pœnam exigeret: † donec omnibus qui resistere solebant profligatis, & in suam potestatem redactis, decem hominum millia ex iis qui vtrasque ripas Albi fluminis incolabant, cum vxoribus & liberis sublatos transtulit, & huc atq; illuc per Galliam & Germaniam multimoda diuisione distribuit. Eaquæ conditione à rege proposita, & ab illis suscepta, tractum per tot annos bellum constat esse finitum, ut abjecto dæmonum cultu, & relictis patriis cæremoniis, Christianæ fidei atq; religionis sacramenta susciperent, & Francis adunati, vnus cum eis populus efficerentur. Hoc bellum licet per multum temporis spacium traheretur, ipse non amplius cum hoste quam bis acie conflixit, semel iuxta montem qui Osneggi dicitur, in loco † Thiermelle nominato: & iterum apud Asam fluvium, & hoc vno mense, paucis quoq; interpositis diebus. His duobus præliis hostes aded profligati ac devicti sunt, ut vltèrius regem neq; provocare, neq; venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi, audegerent. Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorum quàm Saxonum, & functi summis honoribus viri, consumpti sunt: tandemq; anno tricesimo tertio finitum est: cùm interim tot ac tan-

al. & 92. d. 117

al. Theat-
mells.

ta in diversis terrarum partibus bella contra Francos & exorta sint, & solertia regis administrata, vt merito intuentibus in dubium venire possit, vtrum in eo aut laborum patientiam, aut felicitatem potius mirari conveniat. Nam biennio ante Italicum hoc bellum sumpsit exordium: & cum sine intermissione gereretur, nihil tamen ex iis quæ alicubi erant gerenda, dimissum, aut vlla in parte ab æquè operoso certamine cessatum est. Nam rex omnium qui sua ætate gentibus dominabantur, & prudentia maximus, & animi magnitudine præstantissimus, nihil in iis quæ vel suscipienda erant vel exequenda, aut propter laborem detrectavit, aut propter periculum exhorruit. Verum vnumquodq; secundum secundum suam qualitatem & subire & ferre doctus, nec in adversis cedere, nec in prosperis falsò blandienti fortunæ assentire solebat. Cum enim assiduo ac pene continuo cum Saxonibus bello certaretur, dispositis per congrua confinium loca præliis, Hispaniam quam maximo poterat belli apparatu aggreditur, saluque Pyrenæi superato, omnibus quæ adierat oppidis atque castellis in deditionem acceptis, salvo atque incolumi exercitu revertitur. Præter quod in ipso Pyrenæi iugo Vasconicam perfidiam parumper in redeundo contigit experiri. Nam cum agmine longo, vt loci & angustiarum sicut permittebat, porrectus iret exercitus, Vascones in summi montis vertice positus insidiis, (est enim locus ex opacitate sylvarum, quarum maxima est ibi copia, insidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partem, & eos qui novissimo agmine incedentes, subsidio præcedentes tuebantur, desuper incurstantes, in subiectam vallem deiiciunt: confertoque cum eis prælio, vsque ad vnum omnes interficiunt: ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ iam instabat, protecti, summa cum celeritate in diversa disperguntur. Adjuvabat in hoc facto Vascones & levitas armorum, & loci in quo gerebatur situs. Econtra Francos & armorum gravitas, & loci iniquitas per omnia Vasconibus reddidit impares. In quo prælio † Eghartus regis mensæ præpositus, Anshelmus comes palatii, & Rutlandus Britannici littoris præfectus, cum aliis compluribus interficiuntur. Neque hoc factum ad præsens vindicari poterat: quia hostis re perpetrata ita dispersus est, vt ne fama quidem

dem remaneret, vbinam gentium quæti potuisset. Domuit & Brittones, qui ad occidentem in extrema quadam parte Gallix super litus Oceani residentes, dicto audientes non erant. missa in eos expeditione, qua & obsides dare, & quæ imperarentur se facturos polliceri coacti sunt. Ipse postea cum exercitu Italiam ingressus, ac per Romam iter agens, Capuam Campaniæ urbem accessit, atque ibi positis castris, bellum Beneventanis ni sese dederent, comminatus est. Prævenit hoc dux gentis Arapius, filios suos Rumoldum & Grimoaldum cum magna pecunia obviam regi mittens, rogat ut filios obsides suscipiat, seque cum gente imperata facturum pollicetur: præter hoc solum, si ipse ad conspectum venire non cogeretur. Rex ut litate gentis magis quàm animi eius obstinatione considerata, & obsides sibi oblatos suscepit, eique ut ad conspectum venire non cogeretur, pro magno munere concessit, vnoque ex filiis, qui minor natu erat, pro obside retento, maiorem patri remisit, legatisque ob sacramenta fidelitatis à Beneventanis exigenda atque suscipienda cum Arapio dimissis, Romam redit, consumptisque ibi in sanctorum veneratione locorum aliquot diebus, in Galliam revertitur. Bajoaricum deinde bellum & repente ortum, & celeri fine completum est, quod superbia simul ac socordia Tassilonis ducis excitavit: Qui hortatu vxoris, quæ filia Desiderij regis erat, ac patris exilium per maritum vltisci posse putabat, iuncto fœdere cum Hunis, qui Baioarii sunt ab oriente contermini, non solum imperata non facere, sed bello regem provocare tentabat. Cuius contumaciam, quia nimia videbatur, animositas regis ferre nequiverat, ac proinde copiis vndique contractis, Baioariam petiturus ipse ad Lechum amnem cum maximo venit exercitu. Is fluvius Baioarios ab Alemannis dividit. Cuius in ripa castris collocatis, prius quam provinciam intraret, animum ducis per legatos statuit experiri. Sed ille pertinaciter agere nec sibi nec genti utile ratus, suppliciter se regi subiecit, obsides qui imperabantur dedit, (inter quos & filium suum Theodonem) data in super fide cum juramento, quod ab illius potestate nemini defectionem suadenti assentire deberet. Sicque bello, quod quasi maximum futurum videbatur, celerissimus est finis impositus. Tassilo tamen postmodum ad regem evocatus, neque redi-

te per-

re permittus, neque provinciam quam tenebat ulterius præesse, sed Comitibus ad regendum commissa est. His motibus ita compositis, Scilicet lavis, qui nostra consuetudine Wilsii, propriè vero, hoc est sua lingua, Welatabi dicuntur, illatum est bellum: in quo & Saxones velut auxiliares inter cæteras nationes, quæ regis signa iussu sequebantur, quanquam ficta & minus devota obedientia militabant. Causa belli erat, quod Abotritos, qui cum Francis olim fœderati erant, assidua incursione laceſcebant, nec iustitiis coerceri poterant. Sinus quidam ab occidentali oceano orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis vero quæ nulquam centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior inveniatur. Hunc mæta & circumſedent nationes. Dani siquidem & Sueones, quos Nordmannos vocamus, & septentrionale littus, & omnes in eo insula tenent. At littus australe Sclavi & Aisti, & alix diversæ incolunt nationes: inter quos vel præcipui sunt, quibus tunc à rege bellum inferebatur Welatabi, quos ille vna tantum, & quam per se gesserat expeditione ita contudit ac domuit, ut ulterius imperata facere minimè renuendum iudicaret. Maximum omnium quæ ab illo gesta sunt bellorum, præter Saxonicum, huic bello successit, illud videlicet, quod contra *Avares sive Hunos* susceptum est, quod ille & animosius quam cætera, & longè majori apparatu administravit. Vnam tamen per se in Pannoniam (nam hanc provinciam ea gens tum incolebat) expeditionem fecit: cæteras filio suo Pipino ac præfectis provinciarum, Comitibus etiam atque legatis perficiendas commisit. Quod cum ab iis strenuissimè fuisset administratum, octavo tandem anno completum est. Quot prælia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo regia Cagani erat, ita desertus, ut ne vestigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periiit, tota gloria decidit, omnis pecunia & congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque vllum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti sint: quippe cum vsque in id temporis penè pauperes viderentur, tantum auri & argenti in regia & compertum, tot spolia pretiosa in præliis sublata,

ut me-

al. circum-
ſedent.

al. reper-
tum.

vt merito credi posset, hoc Francos Hunis iuste eripuisse, quod Huni prius aliis gentibus iniuste eriperant. Duo tantum ex proceribus Francorum eo bello perierunt, Ericus dux Foro-Julianus, in Liburnia juxta Tarfaticam maritimam civitatem insidiis oppidanorum interceptus, & Geroltus Baioariae praefectus in Pannonia, cum contra Hunos praeliaturus aciem instrueret, incertum à quo, cum duobus tantum qui eum obequitantem ac singulos hortantem comitabantur, interfectus est. Ceterum incruentum pene Francis hoc bellum fuit, & prosperrimum exitum habuit, tamen si diutius sua magnitudine traheretur; post quod & Saxonicum suae prolixitati convenientem finem accepit. Bohæmicum quoque & † Hilinonicum, quae postea exorta sunt, diu durare non poterunt: quorum utrumque ductu CAROLI junioris, celeri fine completum est. Vltimum contra Nordmannos, qui Dani vocantur, primo piraticam exercentes, deinde majori classe littora Galliae atque Germaniae vastantes, bellum susceptum est. Quorum rex Godefridus adeo vana spe inflatus erat, vt totius sibi Germaniae promitteret potestatem. Frisiam quoque & Saxoniam haud aliter atque suas provincias aestimabat. Jam Abotritos vicinos suos in suam deditionem redegerat, jam eos sibi vestigales fecerat. Iactabat etiam se brevi Aqualgrani, vbi regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum. Nec dictis eius quamvis vanissimis omnino fides abnuebatur, quin putaretur tale aliquid inchoaturus, nisi festinata fuisset morte praeventus. Nam à proprio satellite interfectus, & suae vitae & belli à se inchoati finem acceleravit. Haec sunt bella quae rex potentissimus per annos XLVI (tot enim annis regnaverat) in diversis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessit, quibus regnum Francorum, quod post patrem Pipinum magnum quidem & forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, vt pene duplum illi adiecerit. Nam cum prius non amplius quam ea pars Galliae quae intra Rhenum & Ligerim, Oceanumque & mare Balearicum jacet, & pars Germaniae quae intra Saxoniam & Danubium, Rhenumque ac Salam fluvium, qui Turingos & Sorabos dividit, posita, ac à Francis qui Orientales dicuntur, incolitur, & praeter haec Alemanni atque Baioarij ad regni Francorum potestatem pertinerent: ipse per bella memorata

al. *Linon-*
-cum.

*De tribu sa.**In manuscr.**Esus qua
a Francis
incolitur,
duplum in
Liro habere
putantur,
cum et.**al. Boemani.*

primo Aquitaniam & Valconiam, totumq; Pyrenæi montis jugum, & usque ad Iberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertilissimos Hispaniæ agros secans, sub † Dertosa civitatis mœnia Balearico mari miscetur: deinde Italiam totam, quæ ab Augusta Prætoria usq; in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum ac Beneventanorum constat esse cœnina, decies centum & eo amplius passuum millibus longitudine porrigitur. Tum Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica est, † & ad eam quæ à Francis incolitur, latitudine dupla putatur, cum longitudine possit esse confimilis. Postquam utranque Pannoniam, & oppositam in altera Danubij ripa Daciam, Histriam quoque, & Liburniam atq; Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit. Deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Vistulam fluvios, Oceanumque & Danubium posita, lingua quidem pene similes, moribus vero atq; habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret: inter quas fere præcipui sunt. Welatabi, Sorabi, Abotriti, † Bohæmi. Cum eis namque conflixit, cæteras quarum multo major est numerus, in deditioem suscepit. Auxit etiam gloriam regni sui, quibusdam regibus gentibus per amicitiam sibi conciliatis. Adeo namque Adelfonsum Galetiarum atq; Asturicæ regem sibi societate devinxit, ut is cum ad eum vel literas vel legatos mitteret, non aliter se apud illum quàm proprium suum appellari juberet. Scotorum quoque reges sic habuit ad suam voluntatem per suam munificentiam inclinatos, ut eum nunquam aliter quam dominum, seque subditos ac servos eius pronunciarent. Extant Epistolæ ab iis ad eum missæ, quibus huiusmodi affectus eorum erga illum indicatur. Cum Aaron rege Persarum, qui, excepta India, totum pene tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam eius omnium, qui in toto orbe terrarum erant, regum ac principum amicitia præponeret, solumque illum honore ac munificentia sibi colendum judicaret: ac proinde cum legati eius, quos cum donariis ad sacratissimum Domini ac Salvatoris nostri sepulchrum locumq; resurrectionis miserat, ad eam venissent, & ei domini sui voluntatem indicassent, non solum quæ

pete-

petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum illum & salutarem locum, ut illius potestati ascriberetur, concessit, & revertentibus legatis suos adiungens, inter vestes & aromata & cæteras orientali-um terrarum opes, ingentia illi dona transmisit, cum ei paucos ante annos eum quem tunc solum habebat roganti mitteret elephantem. Imperatores etiam Constantinopolitani, Nicephorus, Michaël & Leo, vltro amicitiam & societatem eius expetentes, complures ad eum miserunt legatos, cum quibus tamen propter susceptum à se imperatoris nomen, & ob hoc quasi qui imperium eis eripere vellet, valde suspectum, fœdus firmissimum statuit, ut nulla inter partes cuiuslibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis & Græcis Francorum suspecta potentia. Vnde & illud Græcum extat proverbium: Τὸν φερόντων σίλον ἔχον, γέροντα ἢ ἔχον. Qui cum tantus in ampliando regno & subigendis exteris nationibus existeret, & in huiusmodi occupationibus quotidie versaretur, opera tamen plurima ad regni decorem & utilitatem pertinentia, diversis in locis inchoavit, quædam etiam consummavit. Inter quæ præcipua ferè non immeritò videri possunt, basilica sanctæ Dei genitricis Aquisgrani opere mirabili constructa, & pons apud Moguntiacum in Rheno quingentorum passuum longitudinis (nam tanta est ibi fluminis latitudo) qui tamen vno antè quàm decederet anno, incendio conflagravit: nec refici potuit propter festinatum eius decessum: quanquam in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoavit & palatia operis egregij, vnum haud longè à Moguntiaco juxta villam cui nomen est Ingelheim: alterum Noviomagi super Wahalem fluvium, qui Batavorum insulam à parte meridiana præterfluit. Præcipuè tamen ædes sacras ubicunque in toto regno suo vetustate collapsas comperit, pontificibus & patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur imperavit, adhibens per legatos curam, ut imperata perficerent. Molitus est classem contra Nordmannos, ædificatis ad hoc navibus juxta flumina, quæ & de Gallia & Germania septentrionalem influunt Oceanum: & quia Nordmanni Gallicum littus atque Germanicum assidua infestatione vastabant, per omnes portus & ostia fluminum, quæ naves recipi posse videbantur, stationibus & excubiis dispo-

Id est, Fræcum amicū habeas, Gicium non habeas.

ſtis, ne qua hoſtis exire poſſet, tali munitione prohibuit. Fecit i-
 dem à parte meridiana in littore provinciæ Narbonenſis ac Septi-
 manix, toto etiam Italiæ littore uſque Romam, contra Mauros
 nuper piraticam exercere aggreſſos: ac per hoc nullo gravi dam-
 no vel à Mauris Italia, vel Gallia atque Germania à Nordmannis
 diebus ſuis affecta eſt: præter quòd Centumcellæ civitas Hetru-
 riæ per proditionem à Mauris capta atque vaſtata eſt. Et in Friſia
 quædam inſulæ Germanico littori contiguæ, à Nordmannis de-
 prædatæ ſunt. Talem eum in tuendo & ampliando, ſimulq; or-
 nando regno fuiſſe conſtat. Cuius animi dotes, & ſummam in-
 qualicumque, & proſpero & adverſo eventu conſtantiam, cætera-
 que ad inteciorem atque domeſticam vitam pertinentia, hinc dice-
 re exordiar. Poſt mortem patris cum ſatre regnum partitus, tan-
 ta patientia ſimultates & invidiam eius tulit, ut omnibus mirum
 videretur, quòd ne ad iracundiam, quidem ab eo provocari po-
 tuiſſet. Deinde cùm matris hortatu filiam Deſiderij regis Lango-
 bardorum duxiſſet vxorem, incertum qua de cauſa poſt annum re-
 pudiauit, & Hildegardim de gente Suevorum præcipuæ nobilita-
 tis fœminam in matrimonium accepit: de qua tres filios, CA-
 ROLVM videlicet, Pipinum & Ludovicum, totidemque filias,
 Rotrudim, Bertam & Giſlam genuit. Habuit & filias tres, The-
 dradam, Hildrudim & Rothaidem. duas de Faſtrada vxore, quæ
 de Orientalium Francorum, Germanorum videlicet gente erat:
 tertiam de concubina quadam, cuius nomen modò memoriæ non
 occurrit. Deſuncta Faſtrada, Luitgardim Alemannam duxit, è
 qua nihil liberorum tulit. Poſt cuius mortem quatuor habuit con-
 cubinas, Mathalgardim ſcilicet quæ peperit ei filiam, nomine Rothil-
 dim: Gerſuindam Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adel-
 drudis nata eſt: & reginam, quæ ei Drogonem & Hugum genuit:
 & Adelluidam, ex qua Thederichum procreavit. Mater quoque
 eius Bertrada in magno apud eum honore conſenuit. Colebat e-
 nim eam cum ſumma reverentia, ita ut nulla vnquam inter eos ſit
 exorta diſcordia, præter in divortio filix Deſiderij regis, quam illæ
 ſuadente acceperat. Deceſſit tandem poſt mortem Hildegardis,
 cùm jam tres nepotes ſuos, totidemque neptes in filij domo vidiſ-
 ſet: quam ille in eadem baſilica, qua pater ſitus eſt, apud ſanctum.

Dionysium, magno fecit honore humari. Erat ei vnica soror nomine Gisla à puellaribus annis religiosæ conversationi mancipata, quam similiter vt matrem magna coluit pietate: quæ etiam paucis ante obitum illius annis, in eo quo conversata est monasterio, decessit. Liberos suos ita censuit instituendos, † vt tam filij quam nepotes primo liberalibus studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur. Tum filios, quam primum ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit: filias vero lanificio assuescere, coloq; ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit. Ex iis omnibus duos tantum filios & vnam filiam prius quam moreretur amisit. CAROLUM, qui major natus erat, & Pipinum, quem regem Italix præfecerat, Rothrudim, quæ filiarum eius primogenita, & Constantino Græcorum Imperatori desponsata erat. Quorum Pipinus vnum filium suum Bernhartum, filias autem quinque Adelhaidem, † Atalam, Gundradam, Bertaidem ac † Thedradam superstites reliquit. In quibus rex pietatis suæ præcipuum documentum ostendit, cum filio defuncto nepotem patri succedere, & neptes inter filias suas educari fecisset. Mortes filiorum ac filix pro magnanimitate qua exercebat, minus patienter tulit, pietate videlicet, qua non minus insignis erat, compulsus ad lachrymas. Nunciato etiam sibi Adriani Romani Pontificis obitu, quem amicum præcipuum habebat, sic fleuit ac si fratrem aut charissimum filium amisisset. Erat enim in amicitiiis optime temperatus, vt eas & facile admitteret, & constantissime retineret: colebatque sanctissime quoscumque hac affinitate sibi coniunxerat. Filiorum & filiarum tantam in educando curam habuit, vt nunquam domi positus sine ipsis cœnaret, nunquam iter sine illis faceret. Adequitabant ei filij, filix vero pone sequebantur, quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. Quæ cum pulcherrimæ essent, & ab eo plurimum diligerentur, mirum quod nullam earum cuiquam aut suorum, aut exterorum nuptum dare voluit: sed omnes secum vsque ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens se earum contubernio carere non posse: ac propter hoc licet alias fellix, aduersæ fortunæ malignitatem expertus est, quod tamen ita

Inmanusere.
Et tam fili-
is quam
filia.

al. Atalā.
al. Theodor-
itam.

In manuſc.
exorta vel
fama di-
ſperſa fuiſ-
ſet.

al. qui enim
ſana pro-
miſſione re-
gni illexe-
rant.

diſſimulavit, ac ſi de iis nunquam alicuius probri ſuſpicio ꝛ orta
vel diſperſa fuiſſet. Erat ei filius nomine Pipinus, ex concubina e-
ditus, cuius inter cæteros mentionem nullam fecimus, facie qui-
dem pulcher, ſed gibbo deformis. iſcum pater bello contra Hu-
nos luſcepto in Bajoaria hyemaret, ægritudine ſimulata, cum qui-
buſdam è primoribus Francorum, ꝛ qui ſibi vana promiſſione re-
gni illuſerant, adverſus patrem conjuravit: quem poſt fraudem
detectam, & damnationem conjuratorum, detoſum in cœnobio
Præmia religioſæ vitæ, jamq; volentem vacare permiliſit. Facta eſt
& alia prius contra eum in Germania valda conjuratio, cuius au-
tores partim luminibus orbat, partim membris incolumes, om-
nes tamen in exilium acti ſunt: neque vllus ex eis interfectus
eſt, niſi tres tantum, qui cum le ne comprehenderentur, ſtrictis
gladiis defenderent, aliquos etiam occidiſſent, quia aliter coërceri
non poterant, interempti ſunt. Harum tamen conjurationum Fa-
ſtræ reginæ crudelitas cauſa & origo extitiſſe creditur. Et iacir-
co in ambabus contra regem conſpiratum eſt, quia vxotis crudeli-
tati conſentiens, à ſuæ naturæ benignitate ac ſolita manſuetudine
immaniter exorbitaſſe videbatur. Cæterum per omne vitæ ſuæ
tempus ita cum ſummo omnium amore atq; favore & domi & fo-
ris converſatus eſt, ut nunquam ei vel minima iniuſtæ crudelitatis
nota à quoquam fuiſſet objecta. Amabat peregrinos, & eorum
luſcipiendorum magnam habebat curam, adeo, ut eorum multi-
tudo non ſolum palatio, verumetiam regno non immerito videret-
tur oneroſa. Ipſe tamen pro magnitudine animi hujuſcemodi
pondere minime gravabatur, cum etiam ingentia incommoda
laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compenſaret. Corpore
fuit amplo atq; robuſto, ſtatura eminenti, quæ tamen juſtam non
excederet: nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem eius conſtat
habuiſſe ꝛ figuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus
ac vegetis, naſo paululum mediocritatem excedente, canicie pul-
chra, facie læta & hilari: vnde formæ authoritas ac dignitas tam
ſtanti quam ſedenti plurima inerat. Quamquam cervix obefa &
brevior, venterq; projectior videretur, tamen hæc cæterorum
membrorum celabat æqualitas. inceſſu firmo, totaq; corporis
habitudine virili. Voce clara quidem, ſed quæ minus corporis for-

al. menſu-
rant.

mæ conveniret. Valetudine prospera, præter quod antequam decederet, per quatuor annos crebro febribus corripiebatur: ad extremum vno etiam pede claudicaret: & tunc quidem plura arbitrato suo quam medicorum consilio faciebat: quos pene exosos habebat, quod ei in cibis assa, quibus assuetus erat, dimittere, & elixis assuescere suadebant. Exercebatur assidue equitando, ac venando, quod illi gentilitium erat, quia vix vlla in terris natio invenitur, quæ in hac re Franciscum possit æquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens, cuius adeo peritus fuit, ut nullus ei iuste potuerit præferri: quod hoc etiam Aquiligrani regiam extruxit, ibique extremis vitæ annis vsque ad obitum continuè habitavit: & non solum filios ad balneum, verum optimates & amicos, aliquando etiam satellitum & custodum corporis turbam invitavit, ita ut nonnunquam centum vel eo amplius homines vna lavarentur. Vestitu patrio, hoc est Francico, utebatur: ad corpus camisiâ lineam, & feminalibus lineis induebatur: deinde tunicam, quæ limbo serico ambiebatur, & tibialia: tum fasciis crura, & pedes calciamenti constringebat: & ex pellibus † lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio semper accinctus, cuius capulus ac baltheus aut aureus, aut argenteus erat: aliquoties & gemmato ense utebatur: quod tamen non nisi in præcipuis solennitatibus, vel si quando exterarum gentium legati venissent, faciebat. Peregrina verò indumenta, quamvis pulcherrima, respuebat, nec unquam eis indui patiebatur: excepto quoddam Romæ semel Adriano Pontifice petente (& iterum Leone successore eius supplicante) longa tunica & chlamyde amictus, & calceis Romano more formati, induebatur. In † solennitatibus veste auro texta, & calciamenti gemmati, & fibula aurea sagum astringente: diademate quoque ex auro & gemmis ornatus incedebat: aliis autem diebus habitus eius parum à communi ac plebeio abhorrebat. In potu & cibo temperans, sed in potu temperantior: quippe qui ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis, plurimum abominabatur. Cibo enim non adeo abstinet poterat, ut sæpe quæteretur noxia esse suo corpori ieiunia. Convivabatur rarissimè, & hoc præcipuis tantum † solennitatibus,

*Lutrinæ vel
murinæ in
man.*

*Quæ duabus
femilunulis in-
clusa sunt,
in mande-
sunt.*

*al. festi-
satis.*

*al. festi-
satis.*

bus, tunc tamen cum magno hominum numero. Cœna quotidia-
 na quaternis tantùm ferculis præbebatur, præter allam, quam ve-
 natores verubus † adferre solebant, qua ille libentius quàm vllò
 alio cibo vesceretur. inter cœnandum aut aliquod acroama, aut
 lectorem audiebat. Legebantur ei historiarum, & antiquorum regum
 gesta. Delectabatur & libris S. Augustini, præcipuè iis quos de ci-
 vitate Dei inscripsit. Vini & omnis potus aded parcus in biben-
 do erat, vt sub cœnam rarò plus quàm ter biberet. Æstate post ci-
 bum meridianum pomorum aliquid sumens ac semel bibens, de-
 positis vestibus ac calciamentis, velut noctu solitus erat, duabus
 aut tribus horis quiescebat. Noctibus sic dormiebat, vt somnum
 quater aut quinq̄ies, non solùm expergiscendo, sed etiam desur-
 gendo interrumpere. Cùm calciaretur & amicaretur, non tan-
 tùm amicos admittebat, verùm etiam si Comes palatij litem ali-
 quam esse diceret, quæ sine eius iussu definiti non posset, statim li-
 tigantes introduci iussit, & velut pro tribunali sederet, lite cog-
 nita, sententiam dixit. Nec hoc tantùm eò tempore, sed etiam quic-
 quid ea die cuiuslibet officij agendum, aut cuiquam ministrorum
 injungendum erat, expediebat. Erat eloquentia copiosus & exu-
 berans, poteratque quicquid vellet apertissimè exprimere. Nec
 patrio tantùm sermone contentus, sed & peregrinis linguis edi-
 scendis operam impendit: in quibus Latinam ita didicit, vt æquè
 illa ac patria lingua orare sit solitus: Græcam verò melius intelli-
 gere quàm pronuntiare poterat. Aded quidem facundus erat, vt
 etiam didascalici munus subiisse appareret. Artes liberales studio-
 sissimè coluit, earumque doctores plurimum veneratus, magnis af-
 ficiebat honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum dia-
 conum senem audivit, in cæteris disciplinis Albinum cognomen-
 to Alcuinum, item Diaconum de Britannia, Saxonici generis ho-
 minem, virum vñdecunque doctissimum, præceptorem habuit: ap-
 pud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Astrono-
 miæ ediscendæ plurimum & temporis & laboris impendit. Discie-
 bat & artem computandi, & intentione sagaci syderum cursum
 curiosissimè rimabatur. Tentabat & scribere, tabulasque & codi-
 cillos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat, vt
 al. effringen- cum vacuum tempus esset, manum † effigiendis literis assueface-
 ret.

ret. Sed parum prosperè successit labor præposterus, ac serò inchoatus Religionem Christianam qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissimè, & cum summa pietate ac veneratione coluit, ac propter hoc miræ pulchritudinis basilicam Aquiligrani extruxit, autoque & argento & luminaribus, atq; ex ære solido cancellis & januis ornauit. Ad cuius structuram cum columnas & marmora aliunde habere non posset, Roma atq; Ravenna devehenda curauit. Ecclesiam manè & vesperi, nocturnis item horis & sacrificij tempore, quando eum valetudo permiserat, impigrè frequentabat: curabatque, vt omnia quæ in ea gerebantur, cum quàm maxima fierent honestate, ædituos creberimè commonens, nequid indecens aut sordidum aut inferri aut in ea remanere permetterent. Sacrorum vasorum ex argento & auro, vestimentorumque sacerdotalium tantam in eo copiam procurauit, vt in sacrificiis celebrandis ne janitoribus quidem, qui, vltimi ecclesiastici ordinis sunt, privato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissimè emendauit: erat enim vtriusq; admodum eruditus: quanquam ipse nec publicè legeret, nec nisi submisisse & in commune cantaret. Circa pauperes sustentandos & gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemosynam vocant, deuotissimus, † quam non in patria sua solùm & in suo regno facere curauerit, verùm trans maria in Syriam & Ægyptum atq; Africam, Hierosolymas, Alexandriam, atque Carthaginem, vbi Christianos in paupertate vivere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat: ob hoc maximè transmarinorum regum amicitiam expetens, vt Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio proveniret. Colebat præ cæteris sacris & venerabilibus locis apud Romam Ecclesiam beati Petri Apostoli, in cuius donatia magna vis pecuniæ tam auri quàm argenti, nec non & gemmarum, ab illo congesta est: multa & innumera pontificibus munera missa. Nec ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quàm vt vrbs Roma sua opera suoque labore veteri polleret autoritate, & Ecclesia S. Petri non solùm per illum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus Ecclesiis esset ornata ac ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra XLVII. annorum quibus regnauerat spatium, quater tantùm

In man. Ge
qui non in
patria so-
lum & suo
regno id fa-
cere.

illò votorum solvèndorum ac supplicandi causa profectus est. Vltimi adventus sui non solum hæc fuere causæ, verùm etiam quoddam Romani Leonem multis affectum iniuriis, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens propter reparandum qui nimis conturbatus erat Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus protraxit. Quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit; quod primò tantum aversatus est, ut affirmaret se eo die, quamvis præcipua solennitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si pontificis consilium præscire potuisset. Invidiam tamen suscepti nominis, Constantinopolitanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longè præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epistolis fratres eos appellando. Post susceptum imperiale nomen cum adverteret multa legibus populi sui deesse (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diversas) cogitavit quæ deerant addere, & discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quàm quoddam pauca capitula & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum quæ sub eius imperio erant, iura quæ scripta non erant, describere, ac literis mandari fecit. Item barbaræ & antiquissima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit. Inchoavit & Grammaticam patrij sermonis. Mensibus etiam juxta patriam linguam nomina imposuit, cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim Barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim nominibus propriis insignivit, cum prius non amplius quàm vix quatuor ventorum vocabula inveniri possent. Mensium quidem Ianuarius appellavit, 1 Wintermonet; Februarium, Hornung; Martium, 2 Lenzmonet; Aprilem, 3 Ostermonet; Maium, Wunnemonet; Iunium, Brachmonet; Iulium, 4 Heumonet; Augustum, 5 Arumonet; Septembrem, 6 Herbstmonet; Octobrem, 7 Weinmonet; Novembrem, Windmonet; Decembrem, Heiligmonet; appellavit. Ventis verò hoc modo nomina imposuit, ut subsolanum vocaret, Ostervvind; Eurum, Ostfundern; Euroaustrum, Sundostren; Austrum, Sundren; Austroafricanum, Sundryestren; Africum, Westsun-

al. domi-
naru.

al. Et de mē-
sib quidem.

1 Winter-
manoth.

2 Lenzim-
manoth.

3 Osterma-
noth.

4 Heuvin-
manoth.

5 Aramman-
noth.

6 Vitu-
manoth.

7 Windru-
manoth.

In manuscr.
nomina ven-
torum ita
habentur:

Ostiani.
Ostini.

Ostfundero-
ni.

Sundostroni.
Sundromi.

Sundostre-
stroni.

sundren; *Zephyrum, Vestren*; *Corum, Vestnordren*; *Ciccium, Nord-vestren*; *Septentrionein, Nordren*; *Aquilonem, Nordostren*; *Vultur-num, Ostnordren*. Extremo vitæ tempore cum jam & morbo & senectute premeretur, evocatum ad se Ludovicum Aquitanæ regem, qui solus filiorum Hildegardis supererat, congregatis solenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni, & imperialis nominis hæredem constituit: impositoque capiti eius diademate Imperatorem & Augustum iussit appellari. Susceptum est hoc eius consilium ab omnibus qui aderant, magno cum favore: nam divinitus ei propter regni utilitatem videbatur inspiratum. Auxitque majestatem eius hoc factum, & exteris nationibus non minimum terroris incussit. Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito, quam senectute confectus, non longe à regia Aquensi venatum proficiscitur: exactoq; in huiuscemodi negotio quod reliquum erat autumnus, circa CAL. NOVEMB. Aquisgran: revertitur. Cumq; ibi hyemaret, mense Ianuario febre valida correptus, decubuit. Qui statim, ut in febribus solebat, cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli, vel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci pleuresim vocant, illoque adhuc in ediam retinente, neque corpus aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die sacra communione percepta, decessit. anno ætatis suæ LXXII, & ex quo regnare cœperat XLVII, v. CAL FEB hora diei tertia. Corpus more solennitotum & curatum, & maximo totius populi f. plantu Ecclesiæ illatum atque humatum est. Dubitatum est primo ubi reponi deberet, eo quod ipse vivus de hoc nihil præcepisset. Tandem omnium animis sedit nusquam eum honestius tumulari posse, quam in ea basilica, quam ipse propter amorem Dei & D.N. Iesu Christi, & ob honorem sanctæ & æternæ Virginis genitricis, eius proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac sepultus est eadem qua defunctus die, arcusque super tumulum deauratus cum imagine & titulo extructus; cuius hæc fere sunt verba: *SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS CAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOVS XLVII*

*Vestfundi-
droni.
Vestroni.
Vestnord-
droni.
Nordost-
droni.
Nordroni.
Nordost-
droni.
Ostnordra-
ns.*

al. luctu.

*In man. Tu-
tulno hoc
modo in:
scriptum est.*

al. rex.
In manu-
fic. in d. B.
one 1. Cal.
Febr.

FOELICITER † TENVIT. DECESSIT SEPTVAGENARIUS,
ANNO DOMINI DCCCXIII. † INDICTIONE VII. V CALEND.
FEBRUARII. Appropinquantis finis complura fuere præfagia, vt
non solum alij, sed & ipse hoc minitari sentiret. Per tres conti-
nuos vitæ que termino proximos annos & Solis & Lunæ creberri-
ma defectio, ac in sole macula quædam atrii coloris septem dierum
spatio visa. Porticus quam inter basilicam & regiam operosa mo-
le construxerat, die Ascensionis Domini subita ruina vsque ad
fundamenta collapsa. Item pons Rheni apud Moguntiacum,
quem ipse per decem annos ingenti labore & opere mirabili è li-
gno ita construxit, vt perenniter durare posse videretur, ita tribus
horis fortuito incendio conflagrauit, vt præter quod aqua tege-
batur, ne vna quidem † hastula ex eo remaneret. Ipse quoq; cum
ultimam in Saxoniam expeditionem contra Godefridum regem
Danorum ageret, quadam die cum ante exortum solis castris e-
gressus iter agere cœpisset, vidit repente delapsam cœlitus cum
ingenti lumine facem à dextra in sinistram per serenum aëra trās-
currere; cunctisque hoc signum quid portenderet mirantibus, su-
bito equus, cui insidebat, deorsum capitemerso decidit, eumque
tam graviter ad terram elisit, vt fibula sagi rupta, baltheoque gla-
dij dissipato, à festinantibus qui aderant ministris exarmatus sine
adminiculo levaretur. Iaculum quoq; quod tunc forte manu te-
nebat, ita elapsum est, vt viginti vel eo amplius pedum spatio pro-
cul jaceret. Accessit ad hoc creber Aquensis palatij tremor, & in
domibus vbi conversabatur assiduus laquearium crepitus: tacta
etiam de cœlo in qua postea sepultus est basilica, malumque au-
reum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis dissipatum,
& supra domum pontificis quæ basilicæ contigua erat, proiectum
est. Erat in eadem basilica in margine coronæ, quæ inter superio-
res & inferiores arcus interiorem ædis partem ambiebat, epi-
gramma synopide scriptum, continens quis auctor esset eiusdem
templi, cuius in extremo versu legebatur, PRINCEPS CAROLVS.
notatum est à quibusdam eodem quo decessit anno, paucis ante
mortem mensibus, eas quæ PRINCEPS exprimebant literas ita esse
deletas, vt penitus non apparerent. Sed superiora omnia sic aut
dissimulavit aut spreuit, ac si nihil horum ad res suas quolibet
modo

al. hastula.

modo pertineret. Testamenta instituit, quibus filias, & ex concubinis liberos ex aliqua parte sibi hæredes faceret: sed tarde inchoata perfici non poterant. Divisionem tamen thesaurorum, pecuniarum ac vestium, aliarumque supellectilis, coram amicis & ministris suis, annis tribus antequam decederet, fecit, contestatus eos, ut post obitum suum à se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret: quidque ex iis quæ dividerat fieri vellet, breviario comprehendit, cuius ratio ac textus talis est.

IN NOMEINE DOMINI DEI omnipotentis, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Incipit descriptio atque divisio, quæ facta est à gloriosissimo atque piissimo Domino, CAROLO Imperatore, Augusto, anno ab incarnatione D. N. IESU CHRISTI, DCCCXI, anni vero regni eius in Francia XLIII, & in Italia XXXVI, impetij autem XI, Indictione IIII: quam pia consideratione facere decrevit, & Domino annuente perfecit, de thesauris suis atque pecunia, quæ in illa die in camera eius inventa est. in qua illud præcipue præcavere voluit, ut non solum eleemosynarum largitio, quæ solenniter apud Christianos de possessionibus eorum agitur, pro se quoque de sua pecunia ordine atque ratione perficeretur, sed etiam ut hæredes sui omni ambiguitate remota, quid ad se pertinere deberet liquido cognoscerent, & sine lite atque contentione sua inter se competenti partitione dividere possent. Hac igitur intentione atque proposito omnem supellectilem atque † substantiam suam tam in auro quam in argento, gemmisque & ornatu regio, quæ (ut dictum) illa die in camera eius inveniri poterat, primo quidem trina divisione partitus est. Deinde easdem partes subdividendo, de duabus partibus XXI partes fecit, & tertiam integram reservavit. Et duarum quidem partium in XXI partes facta divisio tali ratione consistit, ut quia in regno illius Metropolitanæ civitates XXI esse noscuntur, unaquæque illarum partium ad unamquamque Metropolim per manus hæredum & amicorum suorum eleemosynæ nomine perveniat, & archiepiscopus, qui tunc illius ecclesiæ rector extiterit, partem quæ ad suam ecclesiam data est suscipiens, cum suis suffraganeis partiatur, eo scilicet modo, ut pars tertia suæ ecclesiæ sit, duæ vero partes inter suffraganeos dividantur.

Inman substantiam suam quam in auro & argento, gemmisque & ornatu regio, in 21. la, ut dictum est, die

tur. Harum divisionum, quæ ex duabus primis partibus factæ sunt, & juxta Metropolitanarum civitatum numerum XXI esse noscuntur, vnaquæque ab altera sequestrata, semotim in suo reposito-
 itorio cum superscriptione civitatis ad quam perferenda erat, condita jacet. Nomina vero Metropolitanarum civitatum, ad quas eadem elemosyna vel largitio data est, hæc sunt: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forumjulij, Gradus, Colonia, Moguntiacum, † Vivanum, quæ & Saltzburgum, Rotomagus, Treveri, Senones, Vesuntium, Lugdunum, Remi, Arelatum, Vienna; † Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Unius autem partis quam integram reservari voluit, talis est ratio, ut illis duabus in supradictas divisiones distributis, & sub sigillo reconditis, hæc tertia in usu quotidiano versaretur, velut res quam nulla voti obligatione à domino possidentis alienatam esse constaret, & hoc tam diu, quo ad usque vel ipse superstes esset, vel usum eius sibi necessarium judicaret, post obitum vero suum aut voluntariam secularium rerum abdicationem eadem pars quatuor subdivisionibus secaretur: & vna quidem earum supra dictis XXI partibus adderetur: altera à filiis ac filiabus, nepotibusque ac neptibus suis assumpta, & justa ac rationabili inter eos partitione divideretur: tertia vero consueto Christianitatis more, in usum pauperum erogaretur: quarta simili modo, nomine elemosynæ in servorum & ancillarum usibus palatii famulantium sustentationem distributa veniret. Ad hanc tertiam totius summæ portionem, quæ similiter ut cæteræ ex auro & argento constat, adiungi voluit omnia ex ære & ferro, aliisque metallis, vasa atque utensilia, cum armis & vestibus, aliaque preciosa aut vili ad varios usus facta supellectile, ut sunt cortinæ & stragula, † tapetes, fulcra, coria, sagmata, & quicquid in camera atque vestiario eius eodie fuisset inventum, ut ex hoc majores illius partis divisiones fierent, & erogatio elemosynæ ad plures pervenire posset. Capellam, id est ecclesiasticum ministerium, tam id quod ipse fecit atque congregavit, † quam quod ei ex paterna hæreditate provenit, ut integrum esset, neque vlla divisione scinderetur, ordinavit. Si qua autem invenirentur aut vasa, aut libri, aut alia ornamenta, quæ liquido constaret eidem capellæ ab eo collata

In man. In-
 Ganium,
 al. Daran-
 asia,

al. sapetia,


In manusc.
 quam quod
 adeum ex
 paterna
 hereditate
 pervenit.

lata

lata non fuisse, hæc qui habere vellet, dato iustæ æstimationis pretio, emeret & haberet. Similiter & de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregavit, statuit: vt ab iis qui eos habere vellent, iusto pretio redimerentur, pretium in pauperes erogaretur. Inter cæteros thesauros atq; pecuniam tres mensas argenteas, & auream vnâ præcipuæ magnitudinis & ponderis esse constat; de quibus statuit atque decrevit, vt vna ex iis, quæ forma quadrangula, descriptionem vrbis Constantinopolitanæ continet, inter cætera donaria quæ ad hoc deputata sunt, Romam ad basilicam beati Petri Apostoli deferatur: & altera, quæ forma rotunda, Romanæ vrbis effigie † insignita est, episcopo Ravennatis ecclesiæ conferatur. Tertiâ, quæ cæteris & operis pulchritudine & ponderis gravitate multum excellit, quæ ex tribus orbibus connexa, totius mundi descriptionem subtili ac minuta figuratone complectitur: & auream illam, quæ quarta esse dicta est, in tertiâ illius, & inter hæredes suos atque in elemosynam dividendæ partis augmentum esse constituit. Hanc constitutionem atque ordinationem coram episcopis, abbatibus, comitibusque, qui tunc præsentibus esse potuerunt, quorumque hic nomina scripta sunt, fecit atq; constituit. Episcopi: Hildeboldus, Richolfus, Arn, Wolfarius, Bernoinus, Laidradus, Ioannes, Theodulfus, Iesse, † Hetto, Waltgaudus. Abbates: Fridogifus, Adalungus, Engilbertus, Irmino. Comites: Walach, Meginher, Othulfus, Stephanus, † Vnruchus, Burchartus, Meginhartus, Hatto, Richvvinus, Eddo, Erchangarius, Gerholtus, Bero, Hildegern, Rhoculfus. Hæc omnia filius eius Ludovicus, qui divina ei iussione successit, inspecto eodem Breviario, quam celerrime poterat, post eius obitum summa devotione adimplere curavit.

al. figurata est.

In meo manu-
scr. Hes-
sæ,
In meo Vn-
pnocho.



EX LAONICI CHALCOCONDYLÆ

Lib. 2. de rebus Turcicis pag. 56. & 57.

Vtustate dicunt gentem Gallorum plurimum excellere, præterea sapius magna cum gloria fuisse barbaros ex Libya profectos,

Etos. præsertim eo tempore quo Gallorum reges & Cæsares impe-
 riique Romani reges eligebantur. Carolus autem ferunt præ re-
 liquis regibus strenuè rem gessisse aduersus Pœnos (qui & Sarace-
 ni) cui auxilio venere, Orlandus vir eximia fortitudine, scientiaq;
 militari illustris: & Rhinaldus, Oliberiusq;, nec non alij Duces
 Palatini nuncupati. Qui vbique, cum in Gallia, tum in Hiberia
 fugantes hostes, plurimas insignes nacti sunt victorias. Eorum glo-
 ria adhuc hodie laudibus apud Italos, Gallos, Hispanosque cele-
 bratur. Pœni enim eà traicientes, vbi Herculis columnæ visun-
 tur, incursionem fecerunt in Iberiam, quam summa celeritate oc-
 cuparunt. Hinc Navarram capientes Portugalliæque regionem
 qua patet vsque ad Taraconem, & quæ ad hanc pertinent, subi-
 gentes, devenerunt & in Galliam. Carolus cum suis obviam his
 egressus egregia facinora patravit. Nam Carolus principisque
 quos supra nominavimus, expulerunt eos Celtiberorum & Gal-
 lorum regione. Qui fugientes receperunt se in Granatam vr-
 bem munitissimam, utam in monte qui in Oceanum se proiicit.
 Ab isto portu paululum progressi, Hispaniam bello adorti sunt:
 multamque nacti regionem, ibi habitant. At Carolus princi-
 pesque sui hostiliter eos persequuti sunt. Regionem autem bello
 partam genere propinquo *dederunt*, Iberiam videlicet, Navar-
 ram & Taraconem. Propinquos à barbaris obsessos obsidione li-
 berarunt. Tandem regionem inter sese distribuentes, singuli par-
 tem ad se pertinentem acceperunt. Qui cum in hunc modum bel-
 lum confecissent, ab omnibus etiam hodie canuntur, ut qui fue-
 rint viri spectataz virtutis. *Norm.* Ius dux sibi debellatus oc-
 cubuit. * Rhimæus succedens in bellum ceptum, tan-
 dem id Hispaniæ regibus re-
 liquit.

*Carolus M.
 contra Sa-
 racenos.*

*Orlandus
 siue Rolan-
 dus & Res-
 naldus, Ols-
 servus,
 Palatini.*

*Saraceni
 in Hispani-
 am.*

*Orlandus.
 Rinaldus.*









